5 N. 6.

5·6·234

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOSOPHICAE
INSTITUTIONES

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ANDREINI

SACERDOTE FLORENTINO

ET IN PATRIO SEMINARIO


Philoſophiae ac Matheſeos Profeſſore

STUDIOSIS SUIS AUDITORIBUS ACCOMMODATAE.

TOMUS II.

METAPHYSICAM

COMPLECTENS.



FLORENTIAE MDCCLXX.

Apud Moucke Archiepiſcopalem Typographum

Cum adprobatione.

Digitized by Google

INDEX

In Metaphyſicas Inſtitutiones Praefatio. Pag. 1.

METAPHYSICAE PARS PRIMA SEU ONTOLOGIA. 9.

CAP. I. *De Entis nomine, eiuſque diviſione.* 13.
CAP. II. *De Entis attributis.* 19.
CAP. III. *De Eſſentia, Exiſtentia, & Subſiſtentia entis.* 28.
CAP. IV. *De Ente neceſſario, & contingente; de immutabili, ac mutabili; de incorporeo, atque corporeo.* 45.
CAP. V. *De Ente finito, & infinito.* 55.
CAP. VI. *De Entium relationibus.* 58.
CAP. VII. *De Cauſſis.* 64.
CAP. VIII. *De Primis Axiomatis, quae ex entis, ac modi entis generatim, & utriuſque attributorum ideis ſunt conflata.* 79.

ME-

METAPHYSICAE PARS II. SIVE PNEUMATOLOGIA.

SIVE PNEUMATOLOGIA. 86.

SECTIO PRIMA.

De Animo Humano, ſeu Noologia.

CAP. I. *De Animi natura, & origine.* 87.

CAP. II. *De Animi ſpiritualitate.* 96.

CAP. III. *De Animi Humani immortalitate.* 104.

CAP. IV. *De Humano intellectu, & ideis.* 123.

CAP. V. *De voluntate, animique libertate.* 131.

CAP. VI. *De Animi, & Corporis unione, atque commercio.* 146.

SECTIO SECUNDA.

De Deo, ſeu Theologia Naturalis. 158.

CAP. I. *De Exiſtentia Dei.* 159.

CAP. II. *De Eſſentia Dei.* 171.

CAP. III. *De Praecipuis Dei attributis Phyſicis.* 177.

CAP. IV. *De Moralibus Dei attributis.* 191.

INSTITUTIONES METAPHYSICAE

PRAEFATIO.

AGgreſſuri nos illius Diſciplinae tractationem, quae ab Ariſtotele [1] *Sapientiae* nomine inſignitur, perinde quaſi nobilior, ac ſublimior cenſeri ipſa debeat, quam ut aliarum facultatum inſtar communi Scientiae nomine vocari poſſit; non incongruum fore cenſemus, ſi Sapientum virorum veſtigiis inhaerentes aliquid in anteceſſum dicamus de Metaphyſicae dignitate, atque praeſtantia, expoſituri deinde nomen, munera, atque naturam ſcientiae huius praeclariſſimae.

I. Et primo nemo inficiari profecto poteſt, quin ſingulae facultates eo puriores, ac praeſtantiores ſint, quo nobilius & praeclarius eſt obiectum, circa quod illae verſantur. Cum autem Metaphyſica, quae antiquiſſimo vo-

(1) *Metaphyſ. l. 1. c. 2.*

cabulo *Prima Philoſophia* [1], & a Leibnitio [2] *Princeps Scientia* fuit appellata, generales omnes Entis affectiones corporeis, & incorporeis etiam entibus communes conſideret, ac proinde immateriales quoque ſubſtantias, ipſarumque attributa ſolo rationis lumine nobis perſpicua, & Deum ipſum, quo nihil maius eſſe, & cogitari poteſt, veluti naturae auctorem, primamque omnium cauſſam contempletur; quis non videat, Metaphyſicae obiectum ceteris omnibus aliarum facultatum longe ſublimius eſſe, atque excellentius; & quanto ſublimia humilibus, aeterna nativis, divina humanis praeſtant, tanto ſcientiam hanc plerifque aliis antecellere?

II. Metaphyſicae nomen, quod nonniſi Caii Iulii Caeſaris aetate excogitatum fuiſſe fertur, Ariſtoteli, & ceteris etiam Graeciae Philoſophis fuit prorſus ignotum, & ab ipſius Ariſtotelis Interpretibus Alexandro Aphrodiſienſi, Ioanne Philopono [3], aliiſque fortuito inventum

tum

(1) *Dicitur* Philoſophia Prima, *tum quia prima principia, primaſque tradit rationes, quae in ratiocinando uſum habent; tum etiam quia de rebus ſpiritalibus, quae & ceteras dignitate antecellunt, & primae ab humana mente cogitationes ſuas naturali ordine dirigente percipiuntur, erudiendos nos ſuſcipit.*

(2) *In Act. Erudit. Lipſ. an.* 1694.

(3) *De Metaphyſica Ariſtotelis apud Patres priorum Eccleſiae ſeculorum veſtigia non offendimus; ſi excipiantur Boethius, qui ſeculo VI. librum edidit* de Unitate, & Uno;

ſum dicitur. Etenim ſubactis a Lucio Sylla Athenis, Romam aſportata fuere Ariſtotelis opera, ubi Grammaticus quidam nomine Tyrannio, & Andronicus Rhodius plurima in iis interverterunt, eaque mirifice iam viciata tres in partes hoc ordine digeſſere, ut alia quidem *Logica*, alia vero *Ethica*, alia demum *Phyſica* inſcriberent [1]. Cum tamen plurima ſcripta ſupereſſent, quae promiſcua fuerant, quaeque ad nullam certam claſſem revocari poſſe videbantur; haec Grammatici illi *Poſt Phyſica* inſcripſerunt, & graeca voce μετὰ τὰ φυσικὰ, vel *Metaphyſica* vocarunt, quod illa nimirum phyſicis libris adiecta, vel temere ipſis adnexa forent [2]; unde

 Meta-

Uno; *&* *Ioannes Philoponus, qui libros* Metaphyſ. Ariſt. *ſub initium ſeculi VII. expoſuit, quique ex huiuſce Metaphyſicae abuſu in graves incidit errores. Ceteri Ariſtotelem oderant, eiuſque dumtaxat Dialecticam, ut haereticis occurrerent, qui ea delectabantur, adhibuerunt coacti.*

(1) *Ariſtotelis ſcripta Theophraſto primum, deinde Neleo relicta ab huius haeredibus per CCXII. circiter annos humi abſcondita ſunt. Inde cum extraherentur, humore, & blattis penitus corrupta plurimi vendita fuere, teſte Athenaeo l. 5. Dipnoſoph. Appelliconi Teio viro bene nummato, qui vitiata loca imperite ſupplevit. Direptis a L. Sylla Athenis, Apelliconis Bibliotheca eius iuſſu Romam fuit aſportata, ubi Tyrannio primum, poſtea vero Andronicus Rhodius Ciceronis aetate Ariſtotelica opera recenſuere, & ordine digeſſerunt, ut videre eſt apud Franc. Patricium* Diſcuſſion. Peripatet. Tom. I. l. 5. p. m. 62.

(2) *In iis libris Ariſtoteles de* Ente, *eiuſque* affectionibus, cauſſis,

Metaphyſicae nomen non ex operis argumento, ſed ex fortuito tantum librorum ordine derivatum eſt [1].

III. Me-

cauſſis, *itemque de* Primo Motore, *&* Intelligentiis, *quae ex eo emanant, confuſe, & nullo ordine agit praeſertim lib. XI., & XIII. Unde Ariſtotelici, quidquid de* Ente, *&* Intelligentiis *generatim dicitur*, Metaphyſicam *appellandam eſſe cenſuerunt.*

(1) *Hinc dubitari caepit, num libri Metaphyſici, qui ſub Ariſtotelis nomine circumferuntur, authentici ſint, ac genuini. Non deſunt profecto, qui ſuppoſititios exiſtiment, praeſertim cum Laertius, qui Ariſtotelis opera longa ſerie recenſet, nullam de ipſis mentionem faciat; ingenueque fatetur, complura eſſe*, quae ipſi adſcribuntur volumina, atque ſententiae. *Utcumque tamen ſe res habeat, id unum, quemadmodum egregie obſervat Cl. Gaſſendus* lib. 1. adverſus Ariſtoteleos Exercit. 5. num. 11. *extra dubitationis aleam poſitum videtur, exiguam admodum Metaphyſicae partem in hiſce libris contineri. Ut enim, inquit, omnes libri Phyſici dicati ſunt explicandae materiali ſubſtantiae, ita profecto fuerunt dicandi quatuordecim, qui habentur Metaphyſici, tractandae immateriali. Anne porro id factum eſt? Cum enim huiuſmodi libri contineant CXLI. capita, ſola quinque poſteriora duodecimi libri aliquid habent huiuſce materiae.* Nihil igitur minus accurata, quam Ariſtotelis Metaphyſica, *Gaſſendi ſententia*, quod fortaſſe melior illius pars exciderit, exigua tantum, & mutila ad nos pervenerit. *Eam tamen Arabes ſeculo IX., & Scholaſtici ſeculo XIII. ineunte, (quo tempore Ariſtotelica Metaphyſica caepit innoteſcere) mirum in modum amplificarunt, atque ita expoſuerunt, ut omnis fere illorum Metaphyſica Ontologia ſeu* Scientia de Ente *abſol-*

III. Metaphyſicae tamen nomine non ea diſciplina debet intelligi, quae poſt Phyſicam ſit tradenda; ſed ea po-

---

abſolveretur, cui admiſcuere unum & aliud de Deo, & Spiritibus appendiculae loco. Quod quidem ad integrum uſque ſeculum XVI. obtinuit in Occidente, ut eorumdem libri teſtantur, qui nihil niſi de Ente aut vero, aut ficto continent. Ex iis tamen, praeter Metaphyſicos illos, qui moribus integris, ratione recta, magna atque ſincera pietate excelluere, inter quos ex Latinis Patribus D. Auguſtinus, D. Anſelmus, D. Thomas, ac maiorum Gentium Scholaſtici quidam accenſendi, qui procul dubio acutiſſimi fuere, vix eorum unus aut alter dignus eſt qui legatur. Nonnulli poſtmodum Philoſophi ſub ſeculi XVII. initium de emendanda eiuſmodi Diſciplina cogitarunt, quos inter, praeter Nicolaum Taurellum, & Thomam Campanellam, qui aliquid potius tentarunt, quam perfecerunt, adnumerandi profecto ſunt Verulamius, deinde Carteſius, Henricus Morus, Ioannes Claubergius, Petrus Sylvanus Regis, le Grand: omnium tamen celeberrimus fuit Nicolaus Malebranchius cum in aliis ſcriptis, tum praecipue in opere vulgatiſſimo de Inquirenda veritate. His omnibus adiungi etiam poſſunt Chr. Wolfius, qui methodo ſynthetica omnes Metaphyſicae partes explicuit, eiuſque aſſeclae, & prae ceteris Baumeiſterus, & Leibnitius; ſicuti quoque Syrbius, & Hollmannus, qui de Philoſophia prima copioſiſſime diſputarunt. Nunquam tamen acrius ac vehementius in Metaphyſicae ſtudium incubuerunt Philoſophi, quam XVIII. hoc ſeculo ineunte; tantoque in lumine a quinquaginta ante annis argumentum metaphyſicum poſitum eſt, ut vetuſtiores Metaphyſici vix ſuſpicari potuerint. Celebrantur in his ſtudiis apud Anglos praeter Franciſcum Ba-

potius, quae res ſupra corporum naturam conſtitutas, & a materiae commercio ſecretas ſpeculatur (1).

IV. Cum

Baconum Lockius, Clarckius, & alii plurimi. Sed abuſi plerique Anglorum ſunt libertate illa ingeniorum, atque aequo iuſtius rationem provehentes totam Theologiam, & rationem turbarunt. In tanta autem Metaphyſicorum librorum copia Inſtitutiones in uſum adoleſcentium accuratas edidere Clericus, Tumingius, & omnium maxime doctiſſimi PP. Corſinus, & Iacquier, atque Cl. Verneius, quos omnes ſuperavit Antonius Genuenſis ſuis Metaphyſicae Elementis in quinque tomos diſtributis editionis Venetae noviſſimae anni 1764.

(1) *Ut propria Metaphyſicae notio comprehendatur, obſervandum eſt, res omnes, quae a nobis percipi poſſunt, ad tria ſuprema genera revocari; aut enim* aeternae *ſunt, aut* factae, *aut* poſſibiles. *Ea igitur ſcientia, quae tradit cauſſas, & rationes maxime generales rerum aeternarum, factarum, poſſibilium, earumque rerum ordinem, legeſque, Metaphyſicae nomine decoratur, quaſi ſcientia phyſicis facultatibus ſublimior. Siquidem Phyſicam inter, ac Metaphyſicam illud eſt diſcriminis, quod haec remotas, maximeque generices rerum naturalium cauſſas exploret; illa proximas: haec interiorem, & intelligibilem rerum ordinem; illa exteriorem, & oculis ſubiectum perſcrutetur. Hinc Henrici Mori in* Enchir. part. 1. c. 1. §. 1. *opinio paullo abſurdior eſt, quum Metaphyſicam definit,* Artem recte contemplandi res incorporeas, *(qua voce intelligit Deum, & mentes creatas)* quatenus e lumine naturae facultatibus noſtris innoteſcunt. *Nam e facultate, & ſcientia maxime generali artem fecit arctioribus, quam par eſt, limitibus circumſcriptam, dum ad ſubſtantias dumtaxat incorporeas, & in-*

IV. Cum autem res a materia ſolutas, & abſtractas eſſe duplici ratione concipiamus, 1. vel naturae ſuae conditione, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiae ſpiritales, *Deus*, *Angeli*, *Animus humanus*, 2. vel per mentis praeciſionem, ſeu abſtractionem; hinc duae oriuntur Metaphyſicae partes, prima quidem *Ontologia*, aut *Metaphyſica Generalis*, quae circa Ens generatim, eiuſque relationes per mentem abſtractas occupatur: altera vero *Pneumatologia*, vel etiam *Metaphyſica Particularis*, quae Deum Optimum Maximum, & ſpiritus ab eo creatos, quantum naturalis ratio patitur, conſiderat.

V. Itaque Metaphyſica recte poterit definiri, *Sapientia, vel ſcientia ſpeculativa, quae circa Ens generatim, eiuſque affectiones per mentem abſtractas, ſpeciatim vero circa ſpiritales ſubſtantias prout naturali ratione cognoſcendas verſatur*. Dicitur *Sapientia*, ideſt ſuperior quaedam ſcientia circa res generaliſſimas; ac praeſtantiſſimas per altiſſima principia occupata, quia de Ente generatim ſumto, quo nihil univerſalius, & de Deo, quo nihil eſt excellentius, agit. Appellari etiam poteſt *Scientia*, nimirum cognitio certa, & evidens rei neceſſariae, & immutabilis per proprias illius cauſſas; cum ea omnia immutabilia, & immutabilibus rationibus, ut inferius patebit, ſint munita, quae de Ente generatim; ſpeciatim vero de Deo, & humana mente demonſtrat.

VI. Ex-

& intelligentes ipſam retulit, quarum integrae quidem ſunt tractationes metaphyſicae, ſed eam prorſus non exhauriunt.

VI. Expoſita igitur huius praeclariſſimae ſcientiae dignitate, iiſque praenotatis, quae de eius nomine, muneribus, atque natura nobis diſſerenda ipſo veluti in limine propoſueramus; ſupereſt dumtaxat, ut ipſius diviſionem tradamus. In duas tantum partes dirimemus Metaphyſicas Inſtitutiones, quarum prima erit *Ontologia*, ſeu *Ontoſophia* [1], ſcilicet Entis ſcientia, in qua ens ipſum, & communes illius affectiones explicabimus: altera autem pars erit *Pneumatologia*, ſeu ſpirituum ſcientia, in qua de creato, & Increato ſimul Spiritu, nempe de humanis animis primum verba faciemus, quia ex animi noſtri ſpeculatione ad perfectiſſimum rerum omnium Creatorem facilius adſurgimus: deinde vero de Deo Optimo Maximo auctore Naturae diſſeremus, ea ſolum adhibendo ratiocinandi principia, quae lumine a natura nobis indito clare, diſtincte, certoque dignoſcuntur. In duas igitur ſectiones Pneumatologia erit a nobis diſtributa, quarum una humanae mentis ſubſtantiam, attributa, atque vires ſpeculabitur; unde *Noologia*, ſeu men-

(1) *Ontoſophia ea eſt ſcientia*, *inquit Wolfius* Ontol. P. p. Sect. 3. cap. 1. §. 219., *in qua recludimus omnis cognitionis humanae fontes*, *quaeque*, *iudice Baelio ipſo* T. 4. Oeuvres diverſ. Metaph. General. init., *generales entium differentias perſcrutatur*, *& attributa eſſentialia a ceteris adiunctis rerum diſcernere docet*. *Haec ideas*, *ſeu principia aeternae veritatis ſuppeditat*, *quibus omnes veritates aliarum ſcientiarum probentur*, *& ad quae tanquam ad regulam expendantur peculiaria omnium diſciplinarum principia*.

mentis ſcientia a Philoſophis nominatur : altera Deum ipſum, eiuſque exiſtentiam, & attributa ſingula creatae naturae viribus contemplabitur ; proindeque *Theologiae Naturalis* nomine decoratur. Ex primis autem cognitionis noſtrae principiis, primiſque notionibus, ſuis veluti ex fontibus Metaphyſica doctrina eruetur, ut humanae mentes ad honeſtatem, veramque Religionem (1) informentur, & ſacram divinorum Scientiam venerari aſſueſcant.

METAPHYSICAE PARS PRIMA

SEU ONTOLOGIA.

Scientias & facultates omnes, quaecumque illae fuerint, peculiari alicui enti tanquam obiecto conſiderando, variaſque ipſius proprietates, & accidentia accuratiſſime contemplando eſſe comparatas, certum eſt ; atque exploratum ; ut proinde ex hoc obiectorum diſcrimine diſtinctio, ac varietas illa profluxerit, qua facultas una debet a ceteris diſcerni. Atque ut exemplo

res

(1) *Quantae ſit neceſſitati Metaphyſica ſcientia his praecipue temporibus Religioni primum, deinde hominum ſocietati elegantiſſime, eruditeque demonſtrat P. Nicolaus Contina Ordinis Praedicatorum e Congregatione B. Iacobi Salomonii in ſua Oratione habita in Gymnaſio Patavino, cum primum ad Metaphyſicam publice profitendam accederet.*

res illuſtretur, Mathematicae omnes ſcientiae quantitatem veluti obiectum ſpeculantur; Aſtronomia caeleſtia corpora tanquam obiectum ſibi propoſitum conſiderat; Phyſica univerſa corpora motui, vel mutationi ſubiecta; Botanice plantas; Anatome corporis animati ſtructuram; uno verbo diſciplina quaelibet peculiare, diſtinctumque entis genus veluti obiectum contemplatur. Optimo itaque, ſapientiſſimoque conſilio inſtitutum eſt, ut ad ſcientias omnes feliciter comparandas quaedam inveniretur facultas, quae ens ipſum in genere ſpecularetur, ut ab univerſali entis illius contemplatione clarior deinde cuiuſvis praecipui entis cognitio oriretur. Huiuſmodi autem communem, ac generalem entis cognitionem ea nobis ſcientia ſuppeditat, quae Ontologiae nomen eſt ſortita, cum ipſa, ſi graeci nominis vis perpendatur, ampliſſimam de univerſo rerum genere, de ente nimirum, eiuſque univerſalibus attributis tractationem complectatur [1]. Haec etenim ab Ariſtotele definitur, ſcientia, quae ſpeculatur ens prout ens eſt, ſcilicet ens ipſum in abſtracto, a circumſtantiis, ſubiectis, ac differentiis omnibus ſeiunctum. Hinc patet, Ontologiam, cum nullis ipſa obiecti, vel ſcientiae finibus circumſcribatur, facultatum omnium praeſidium, ac veluti fontem uberrimum eſſe, ex quo peculiares illae dimanant entis notiones, quae in ceteris diſcipli-

nis

(1) *Hinc* Scientia *quoque* generalis *poteſt appellari, cum primas humanae mentis notiones circa ens generatim, eiuſque modos, aut affectiones tradat.*

his inveſtigantur ; proindeque facem veluti praeferre, & aditum praebere ceteris ſcientiis comparandis. Hinc liquido conſtat, Ontologiam, ſi ea recte, & ex merito aeſtimetur, nihil aliud profecto eſſe, quam *Praefationem* quamdam, ſeu *Prolegomena*, ut ita dicam, *Scientiarum omnium*, tum quia nomina generalia definit, quo facilius ſingula ad certas claſſes revocare, ſuis nominibus diſtinguere, atque ex principiis clariſſimis illuſtrare poſſimus ; tum quia principia haec vel axiomata communia ſuppeditat, ut res omnes plene, ac diſtincte cognoſcere, ac de iis ordine, atque ratione differere valeamus; unde Buddeus Ontologiam nuncupavit *philoſophicum* quoddam *Lexicon*, ex quo in ſingulis diſciplinis facilius, & ſine ulla ambiguitate philoſophamur. Haec ſi rite expenderimus, nullo labore intelligemus, quanto in ſingulis facultatibus tradendis uſui ſit Ontologia, quantumque adiumenti ad recte ratiocinandum, & ad rem quamlibet aliis exponendam ipſa conferat. Ergo cum Ontologia tanquam fax quaedam ſit, quae lumen praefert reliquis diſciplinis ; inde eruitur, nihil adoleſcentibus utilius eſſe Ontologia, ſi ea recte pertractetur ; nihil eadem perniciofius, ſi abſtruſis, inanibuſque controverſiis oneretur, ac perturbate exponatur. Ut enim corpora exilia affabre elaborata meridiano ſoli expoſita tanta lucis copia perfunduntur, ut vel minimos receſſus, exiliſſimaſque partes diſtingui ſinant, ſuamque venuſtatem intuentibus, & inveſtigantibus patefaciant ; eadem vero Lunae ſplendore obiecta non ſolum minimas par-

tes oculis eripiunt, ſed etiam elegantiam, immo & colorem deperdunt ſuum, ut informia, & rudia corpora aliquando videantur; ita ſingulae facultates ſi ad germanae Ontologiae leges expendantur, perſpicuae fiunt, faciles, nulloque negotio intelligi poſſunt: ſin autem ad confuſam illam nonnullorum Ontologiam referantur, obſcurae adeo evadunt, ut nihil aptius ad immiſcendas veras, atque perſpicuas humanae rationis regulas inveniri poſſit. Boni itaque Metaphyſici eſt, ita Ontologiam pertractare, ut ad finem, ad quem illa dirigitur, compendiaria via adoleſcentes manuducat. Quod quidem ut commodius aſſequi poſſimus, duo haec in Ontologia omnino praeſtanda curabimus: primum nomina, quibus utuntur Philoſophi, quaeque non unius vel alterius ſcientiae peculiaria, ſed omnibus communia, accurate explanabimus, iiſque certam, perſpicuamque ſubtexemus notionem, ut ex illis diſputantes confuſionem omnem vitemus, rem aperte intelligamus, nimirum ſingulas obiecti partes, proprietateſve ſeorſim, & abſtracte contemplemur, adeoque ſine ulla obſcuritate rem ipſam agnoſcere nobis datum ſit: cuius defectu plerique omnes errores in ſingulis diſciplinis dimanarunt. Alterum vero Axiomata quaedam generalia, ſi qua ex illis duci queunt, tanquam certos canones conſtituemus, quorum ope in ſingulis alias & alias cognitiones veras, atque utiles elicere, falſas, & inutiles controverſias evitare poſſimus.

DE

DE ENTIS NOMINE EIUSQUE DIVISIONE.

CAP. I.

ENtis [1] nomen latiſſime ſumtum univerſale adeo, & indifferens eſt, ut ad infinita ferme entium genera diffundatur; quapropter entis nomine intelligitur quidquid exiſtere, comprehendi, vel eſſe poteſt; quidquid etiam exiſtere, comprehendi, vel produci nequit, entis nomen habet. Strictiſſimo autem modo acceptum apud Platonicos, & Carteſianos ſubſtantiam deſignat. Platonici tamen vocem hanc graecam Ὄν cum emphaſi plerumque adhibuerunt, eaque ſignificarunt Ens dumtaxat increatum, aeternum, immutabile; unde conſtat, cur Plato [2] res creatas vocet non entia; quidquid enim a Deo creatum eſt, vel produci etiam poteſt, ſi cum ipſo conferatur, potius non eſſe, quam eſſe videtur, adeoque potius nihil, quam ens vocari poteſt. Et revera cum Ens, ſive ipſum Eſſe concipimus,

---

(1) Res, *&* ens *Philoſophis latine loquentibus ſunt vocabula homonyma*. Ens *vulgo definitur* id, quod eſt, ſeu exiſtit. *At haec definitio nihil amplius, nec clarius explicat, quam nomen iſtud* ens*: unde nonniſi iis probari poterit, qui amant ea pluribus exponere, quae uno vocabulo aeque clare explanare poſſent. In quod plane vitium tam frequenter Philoſophi quidam ruunt, ut in nullum magis prolabi ſoleant.*

(2) *Plat. in Theat. Timaeo.*

mus, nihil aliud proprie, niſi Deum concipimus; ſolus enim Deus eſt *ipſum Eſſe*; creatae vero ſubſtantiae non ſunt *ipſum Eſſe*, ſed habent, ſeu participant *eſſe* [1]. Diſcrimen tamen illud, atque infinita varietas, qua Deus a creatis rebus diſtinguitur, non ab ipſa entis idea, ſed ab attributis, ac perfectionibus illis oriri debet, quae in Deo, non in rebus creatis reperiuntur; ſicuti differentia inter rem, modumque intercedens ab iis dimanat attributis, quae rei ſolum, non autem modo conveniunt. Itaque entis idea a differentiis, & attributis illis abſtracta, accurateque ſeiuncta, omnino ſimplex, & eadem in ſubiectis omnibus [2] cenſenda eſt. Cum vero indifferens adeo, & univerſalis illa ſit, non ſolum ſingula entium genera, ſed ipſum quoque nihilum

1) *Hinc in Sacris Litteris vocatur Deus*, Qui eſt, *quippe fons eſt, & plenitudo Entis, a quo habent cetera quod exiſtant, & ſine quo nihil poteſt exiſtere. De creatis vero rebus pronuntiatur:* Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatae ſunt ei: *perinde quaſi entitas illa, quae creatis rebus ineſſe concipitur, ſi cum infinita Dei ſubſtantia comparetur, evaneſcere, nihilque eſſe videatur.*

2) *Licet aliqui putent, Entis ideam non* univoce, *eadem nempe ratione vel modo, ſed* analogice *ſolum, ideſt ſimilitudine quadam Deo, creatiſque rebus, ſubſtantiae pariter, & accidenti convenire poſſe, ut vitae nomen aut idea* caritati, animali *&c. tribuitur; veriſimilius tamen eſt, quod obiectis illis* univoce *conveniat, hoc eſt entis idea, & nomen una prorſus eademque ratione vel ſenſu tum Deo, & creatis rebus, tum ſubſtantiae, & accidenti tribui poſſit.*

ſum complectetur. Hac enim voce *nihil* (1) duae excitantur notiones, una entis, altera privationis rei alicuius in ente illo: ita ſi dixerim, *ante conditum mundum erat nihil*, duas exprimerem notiones, unam mundi, & alteram abſentiae mundi. Ineptiunt igitur, qui definiunt *nihil* per vocem, cui nulla reſpondeat notio (2),

Explicato iam entis nomine, ad ipſius diviſionem adſi-

(1) *Vocabulum* nihil *negativum eſt:* vocabula negativa, *ut inquit Lockius, abſentiam idearum poſitivarum explicant, velut* inſipidum, ſilentium, nihil. *Scriptores Hebraici* nihili *vocabulo idem plerumque ſignificarunt, atque Epicurei vocabulo* inanis. *Ita Propheta:* extendit caelum ſicut nihilum. *Et Iob:* appendit terram ſuper nihilum; *niſi fortaſſe* nihili *vocabulo intellexerint aerem ex populari loquendi more.*

(2) *Ex nitida diſtinctaque tum* entis, *tum* nihili, *ſeu* non entis, *aut* privationis *idea axiomatis illius veritas, maximumque robur infertur, quod* principium contradictionis *dicitur, quod nimirum* idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*; nam* entis, *ſimulque* non entis *ideis inter ſe collatis, una alteri perſpicue adverſatur, una aliam excludit, proindeque ipſarum utraque ſimul componi, idemque ſimul eſſe, ac non eſſe nequit. Hinc Ariſtoteles* Metaphyſ. lib. 4. cap. 4. *eiuſmodi principium exponens ait:* certiſſimum hoc cunctorum principium eſt. *Carteſius quoque* Medit. 1., *&* *Wolfius* Ontol. Part. 1. ſect. 1. c. 1. *idem adoptarunt principium; primus enim huic uni tanquam perſpicuo certiſſimoque principio omnium propoſitionum veritatem innixam eſſe putavit; alter vero ex eodem axiomate veluti ex fonte univerſarum ferme cognitionum noſtrarum ſeriem, ipſarumque veritatem profluere aſſeveravit.*

adſignandam gradum faciemus [1]. Suprema entis diviſio haec eſt, ut *Exiſtens*, *Praeteritum*, *Futurum*, *Poſſibile*, & *Impoſſibile* ſit. Ens *exiſtens* dicitur illud, quod nunc temporis in rerum natura reperitur, quod nimirum ex nihilo iam erutum a ſuis cauſſis productum fuit. *Praeteritum* illud eſt, quod licet nunc perierit, neque amplius exiſtat, aliquando tamen extitit. *Futurum* appello quidquid certum eſt, exiſtentiam habiturum; veluti aliquando omnes homines morituros. *Poſſibile* eſt illud, quod nec exiſtit, nec certum eſt, utrum ſit exiſtentiam habiturum, ſed nullam in ſe continet repugnantiam, ut produci, aut exiſtere poſſit; ſicuti hominem perfectae valetudinis cras mori. *Impoſſibile* demum vocatur, quod nunquam poteſt exiſtere [2]; ut trian-

---

(1) *Nonnulli Metaphyſici eam veluti primam entis diviſionem determinant, qua ens aliud eſt* reale, *aliud* rationis. *Reale illud eſt, quod a mente, vel a perceptione non pendet; ideoque extra mentem ipſam exiſtere, ſeu produci poteſt, ut* arbor, albedo *&c. Sin autem illud a nobis perceptum in ipſa ſolum intellectus perceptione poſitum ſit, & ab illa ita pendeat, ut ſine intellectu cogitante exiſtere, concipi, vel produci nequeat; tunc ens* rationis *dicitur, ut* ſyllogiſmus, definitio, ideae, *aliaque id genus intellectus cogitantis opera, quae ab ipſo ſolum producuntur, in illo remanent, neque ſine intellectu cogitante ullibi exiſtere, aut eſſe poſſunt.*

(2) *Ad impoſſibilitatem, quantum per homines licet, demonſtrandam tres regulas Wolfius* Ontolog. num. 81. 82. 83. *proponit, quae in unicam fortaſſe recidunt.* 1. *Impoſſibile oſtendimus, quod exploratae, & evidenti adverſatur propoſitio-*

triangulum quatuor lateribus circumſcriptum, circulus inaequalibus radiis praeditus, idem ſimul eſſe, & non eſſe. Entium poſſibilitas, aut impoſſibilitas duplicis eſt generis; alia quidem *metaphyſica* vel *intrinſeca*, alia *phyſica* vel *extrinſeca*. Intrinſeca ea dicitur, ubi ens ſpectatur in ſe ipſo, aut in eſſentia, nimirum in attributis, quibus intrinſece coaleſcit. Extrinſeca autem erit, ſi ens phyſice ſpectetur, ſi nempe ad exiſtentiam referatur, ſimulque ad potentiam, & cauſſam, a qua producitur.

Ex hactenus traditis de duplici illo poſſibilitatis, aut impoſſibilitatis genere, quatuor inferri poſſe videntur conſectaria. Illud tamen praemonendum, confundendas minime eſſe, ut ſaepe ſaepius accidit, poſſibilitatis, ac probabilitatis ideas. Probabilitas enim nititur rationum pondere, eaſque conſiderat, quibus ad aliquid affirmandum, vel negandum impellimur. Poſſibilitas vero ipſam rei naturam, aut exiſtentiam reſpicit. Ejuſmodi

ſitioni: ſicuti impoſſibile hoc pacto dicimus, figuram a duabus rectis lineis confici; Geometria enim docet, ſpatium omne, quo rectilinearis figura concluditur, tribus ſaltem lineis contineri. 2. *Probari impoſſibile poteſt, quum oſtenditur, duo, quae inter ſe conſentiunt, diſſentire a re tertia: ita impoſſibile credimus triangulum, cuius duo anguli ſint recti; nam licet inter ſe non diſſideant, pugnant tamen cum tertio angulo, qui nullus eſt.* 3. *Id impoſſibile demonſtramus, cui res duae tribuuntur invicem adverſantes: hac potiſſimum ratione fieri non poſſe evincimus ferrum ligneum; quod ferrum naturam habeat a ligno prorſus alienam.*

errori cauſſam dediſſe videtur ille Logicorum canon, *poſſibilitatem* nempe *primum eſſe probabilitatis abſolutae gradum*, cum rei exiſtentia inveſtigatur. His praenotatis colligitur, 1. quidquid metaphyſice poſſibile eſt, phyſice quoque eſſe poſſibile, dummodo tamen cauſſa reperiatur ipſi producendo par, & ens *a potentia ad actum*, ut Scholae loquuntur, ideſt ab eſſentia ad exiſtentiam poſſit transferri: 2. ſi vis illa non reperiatur ipſi producendo par, metaphyſice quidem poſſibile, ſed phyſice impoſſibile erit: 3. cum inſuper in creatis cauſſis finita, in Deo autem infinita ſit poteſtas, plurima a creatis cauſſis illis produci non poterunt, adeoque phyſice impoſſibilia erunt; veluti mortuos ad vitam revocare, ignis calorem impedire &c.: quae quidem, ſi infinita Dei virtus ſpectetur, qua illud omne efficere profecto poteſt, in quo metaphyſica repugnantia non reperitur, phyſice erunt ipſi poſſibilia: 4. demum cum effectus aliquis inquiritur, utrum poſſibilis ſit, metaphyſica prius eius poſſibilitas ſpectetur, neceſſe eſt; deinde vero cauſſa exploretur huius producendi capax. Fieri aliquando ſolet, ut quod metaphyſice, phyſiceque poſſibile eſt, impoſſibile vulgo dici ſoleat. Verum hoc intelligi debet de impoſſibilitate morali. Ens *impoſſibile morale* vocant Philoſophi, quod aut nunquam, aut difficillime uſuvenit; quemadmodum impoſſibile eſt, ut omnes homines ſint docti. Ad hoc etiam impoſſibilitatis genus referri ſolent ea omnia, quae honeſtatis legibus, & naturae morali adverſantur, eoque ſenſu impoſſibilia dicuntur,

quia

quia ut acutiſſimi ingenii Juriſconſultus Papinianus in *l.* 15. *ff. de condit. Inſtit.* optime ſcripſit: *Quae facta laedunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Eiuſmodi definitio in librorum praeſertim lectione attente eſt recolenda, ne in abſurdas, aut falſas ſententias incidamus, ut Novatianis tertii ſeculi haereticis contigit, qui, ut refert D. Cyprianus *libro de lapſis*, legentes in Evangeliis, ii, qui ſemel reſipuerunt, ſi iterum excidant, impoſſibile eſſe, ut iterum reſipiſcant; ſpem omnem aeternae ſalutis ipſis ademerunt. Etenim quod Ἀδύνατον, ſeu *impoſſibile* ibi pronunciatur, *morale* tantum eſt, non phyſicum.

DE ENTIS ATTRIBUTIS.

CAP. II.

Attributa, ac proprietates, quae ampliſſimae, abſtractae, & communi entis notioni ineſſe concipiuntur, fines omnes excedere, atque tranſcendere exiſtimantur, proindeque in Scholis *tranſcendentales* (1) ſolent appellari, tres a philoſophis diſtinguuntur, *Unitas*

 nem-

(1) *Entis proprietates* tranſcendentales *dicuntur, ut a categoricis attributis illis ſecernantur, quae peculiaribus entis generibus ineſſe debent. Attributa quippe ſubſtantiae cuilibet eſſentialia, nempe genus, ſpecies, & differentia extra ſubſtantiae categoriam non vagantur. Attributa modi ſcilicet motus, aut figura, extra ipſius modi categoriam non exeunt. Entis vero attributa, genera omnia, ſive categorias tum ſubſtantiae, tum modi tranſcendunt.*

nempe, *Veritas*, atque *Bonitas*. Unitas entis nihil aliud eſt, quam diviſionis carentia, ſeu privatio [1]; inquit enim Ariſtoteles [2], *unum eſſe, quod caret diviſione*: & D. Thomas [3] ſtatuit, rem numero unam eſſe, quae in ſemetipſa eſt indiviſa, & diviſa eſt a qualibet alia. Ens igitur non alia certe de cauſſa dicitur unum, niſi quod in ſe ipſo indiviſum, & ab aliis entibus diſtinctum intelligitur [4]. Itaque conſtat, unitati di-

(1) *Quamquam entis unitas negative ſolum exprimitur, aut definitur; ipſa tamen in ſe* poſitiva *quaedam perfectio haberi debet, qua ens ipſum accurate in ſe ſimplex, & ab entibus aliis diſtinctum efficitur; quemadmodum complures aliae affectiones, ut* immortalitas, immenſitas *quamvis ubi definiendae illae ſint*, negative *ſolum exprimantur*, poſitivae *tamen cenſeri debent*.

(2) *Metaphyſ. l.* 1. *c.* 6.

(3) *Opuſc.* 70.

(4) *Fatendum tamen eſt*, unius *ideam, ut ſcite Lockius* de intellectu humano lib. 2. cap. 7. §. 7. *&* cap. 16. §. 1. *claram omnino eſſe, atque ſimplicem; adeoque in alias ideas clariores reſolvi, clariuſque explicari non poſſe; non ſecus ac ideam albedinis, lucis, ceteraſque ſimplices, quae per ſenſus comparantur, quaeque ita ſunt perſpicuae, ut nullis clarioribus poſſint exponi. Ideam porro* unius *ex ſingulis rebus, quae obiiciuntur, homines acquirunt, eamque tam bene intelligunt ruſtici, quam Philoſophi. Circa unitatem tria haec obſervanda occurrunt:* 1. *ſi in duobus entibus, aut ideis, quae ab intellectu noſtro perceptae fuerint, nulla omnino varietas atque diſtinctio reperiatur, unitas illa, quae in ipſis concipitur*, identitas *vocatur; ut inter* triangulum, *&* figuram tribus lateribus circumſcri-

ti diviſionem, vel diſtinctionem adverſari [1]. Cum autem unitas ſit diviſionis carentia, & diſtinctioni opponatur; totidem unitatis genera admitti poterunt, quot ſunt diviſiones ipſae, vel diſtinctionis ſpecies, quae in duobus entibus inter ſe collatis ineſſe poſſunt.

Praeter triplicem illam diviſionis ſpeciem, quam alibi tradidimus, ut alia ſit generica, alia ſpecifica, alia numerica [2], de quorum ſingulis conſulendae Logicae

ſcriptam *identitas eſſe concipitur* : 2. *ſi ens aliquod in certo quodam entium genere reperiatur*, unum *dicitur*; *ſin autem in eodem ipſo entis genere nullum ens aliud ipſi ſimile fuerit*, unicum *dici ſolet*; *ut* unicus *filius erit*, *qui fratribus careat* : 3. *ens* unum *aliquando dicitur illud*, *quod omnino ſimplex eſt*. *Interdum vero ens* unum *appellatur*, *cuius aliquot ſunt partes*, *ex quibus ſubiectum unum efficitur*, *cuiuſmodi ſunt corpora omnia*. *Quod duobus modis fieri poteſt* : 1. *cum partes illae ſuapte natura ita comparatae ſunt*, *ut ens illud conſtituant*; *tunc autem dicitur ens* unum per ſe, *ut* corpus humanum : 2. *cum partes illae fortuito ſolum coniunguntur*; *tum vero* unum per accidens *vocatur*, *ut* exercitus.

(1) *Diſtinctio definiri ſolet in Scholis*, identitatis negatio. *Inter diſtinctionem*, *&* *diviſionem illud eſt diſcriminis*, *quod omnia*, *quae diviſa ſunt ſive ſeiuncta*, *ſint quoque diſtincta*; *non viciſſim*; ex. gr. *bina globi caeleſtis media ſunt quidem diſtincta*, *non tamen diviſa*. *Quaedam etiam poſſunt eſſe diviſa*, *quae non ſunt diverſa*; *ut Alexander Magnus*, *&* *Ariſtoteles ſunt diviſi*, *non tamen ſunt diverſi*, *quia ſimiles*, *non diverſas habent naturas*. *Verum Alexander*, *eiuſque bucephalus ſunt ſimul diſtincti*, *diviſi*, *ac diverſi*.

(2) Generica *atque* ſpecifica *diſtinctio ab eſſentia ipſa oritur*,

cae Inſtitutiones, eſt & aliud tripartitum diſtinctionis genus ex ipſa ſubſtantiarum, ac modorum indole dimanans, ut diſtinctio ſit *Realis*, *Virtualis*, & *Formalis*. Realis diſtinctio ea eſt, quae ab intellectu noſtro non pendet, ſed in rebus, vel obiectis ipſis exiſtit (1). Haec autem in Ente Increato inter Divinas Auguſtiſſimae Triadis Perſonas, quae ad ſe mutuo referuntur, locum habet; in entibus vero creatis intercedere dicitur inter ea, quae vel ſeiuncta ſunt, vel ſeiungi poſſunt. Quod ſi diſtinctio non in rebus ipſis exiſtat, ſed ab intellectu oriatur, tunc eiuſmodi diſtinctio virtualis, ſeu *rationis* vocari conſuevit; ut cum Divinitas ab ipſo Deo, humanitas ab homine diſtinguitur. Formalis demum di-

tur, nimirum a differentia, qua ens unum ab alio, veluti intrinſeco principio componi, atque a ceteris entibus omnibus diſtingui debet: hinc quae genere, aut ſpecie differunt, variam quoque naturam habere dicuntur. Numerica *vero diſtinctio a ſingularibus circumſtantiis, & proprietatibus iis gignitur, quae licet eſſentiam minime conſtituant, ita tamen huic enti vel individuo conveniunt, ut omnes una coniunctae alteri ſubiecto ineſſe non poſſint; proindeque ſubiectum ipſum, ſeu naturam ipſam omnino individuam, ideſt alteri incommunicabilem efficiunt.*

(1) *Eiuſmodi diſtinctio triplici pacto fieri poteſt.* 1. *Duo inter ſe differunt, quum ipſorum unum eſſe poteſt ſine alio; ita animus, qui a corpore humano ſeparatur, diſtinctus eſſe dicitur ab illo:* 2. *quum alterum ab altero producitur, differuntque hoc modo plantae a ſemine, quo ad eas procreandas utitur natura:* 3. *quum extat utrumque variis in ſubiectis; color enim ruber a purpureo diſſidet, quod hic purpurae inſit, & ille ſanguini.*

diſtinctio ea vocatur, quae inter attributa, perfectiones, & forma itates illas, ut aiunt, concipitur, quae in re ipſa concepta inveniuntur, ut ab ea ſeparari nequeant [1]: ita genus, & differentia [2], puta animalitas, & rationalitas in homine intrinſecae quaedam perfectiones, & formae ſunt, quas in eſſentia diſtinguere debemus eiuſmodi diſtinctionis formalis genere [3].

Altera entis tranſcendentalis proprietas, quae eſt *veritas metaphyſica* [4], quaeque ad intellectum, eiuſque cogni-

---

(1) *Scotus, qui huiuſce inventor extitit diſtinctionis, mediam eſſe putavit realem inter, & virtualem, ſcilicet minorem reali, & maiorem virtuali, ipſamque in attributis ſitam eſſe voluit, quae nec ſeparari ab eſſentia poſſunt, nec alia actione producuntur: Et quoniam iis for*malitatum *nomen indidit, ipſorum diſtinctionem appellavit* formalem. *Qui Scotum non ſectabantur, eam repudiabant omnino; cum enim a ſola mente profluere hanc dicerent, ad virtualem revocabant. Illud tantum affirmamus, admiratione excipienda hominum otia, qui de re leviſſima tamdiu dimicaverint. Horum dumtaxat meminimus, ne, ſi tyronibus caſu occurrant, inexplorata ſit eorum ſignificatio.*

(2) *His veluti partibus* eſſentia *conſtat, & neque entitates neque entitatis alterius modi aut accidentia eſſe poſſunt.*

(3) *Cum genus, & differentia neque entitates aliquae, neque entitatis alterius modi ſive accidentia eſſe poſſint, diſtinguendae ſunt in eſſentia veluti eius formae; unde diſtinctio formalis* actualis ex natura rei *in Scholis vocatur, quod a mente noſtra non pendeat, ſemper in ipſa re reperiatur, atque ab ipſius natura dimanet.*

(4) *Innumerae ferme ſunt, quas protulere Peripatetici de natura* veritatis, *ſententiae. Guerinoiſius, quem fuiſſe Pe-*

cognitionem refertur, definitur *attributum tranſcendens, quo res ſuo exemplari, ſeu divinae ideae reſpondet.* Itaque res dicitur vera, quae cum ſuo exemplari congruit; ſicuti argentum dicitur verum, ubi ideae divinae conſonum eſt; tunc enim veram habet argenti naturam, talem ſcilicet, qualis a mente divina concipitur [1]. Illud

Peripato addictum recenter novimus, ſeptem circa id enumerat opiniones. Scilicet de veritatis definitione dimicaſſe invicem affirmavit Metaph. quaeſt. 2. artic. 2. §. 9. *Caietanum, Vaſqueſium, Fonſecam, Soncinatem, Aureolum, Meuriſſum, & Pontium. Negari certe non poteſt, occupata olim ab his fuiſſe prima ſubſellia; poſtquam verò ſubtilitatum amor efferbuit, excepti fuere lentius, & loco ceſſere. Itaque praetermiſſis illorum definitionibus, aliam amplectimur a Divo Thoma allatam, qui ſtatuit* de verit. quaeſt. 1. art. 2. & 4., *poſitam eſſe veritatem in conformitate, quam res quaeque habet cum ideis divinis.*

(1) *Ut in re quaque integrum cuique fuit diſputare, ita opinati nonnulli fuere, omnia, quae ſunt, apparentia ac ſimulata omnino eſſe, iiſque* Idealiſtarum *nomen inditum fuit. Primus omnium Protagoras docuiſſe fertur, nihil eſſe omnino verum. At Platonis in* Theaeteto, *& Sexti Empirici* adverſ. Logic. lib. 1. pag. 382. *teſtimonio babetur, vera ab illo credita nonnulla fuiſſe. Georgius vero Borkeleius anno* 1713. *dialogos edidit inter Ilam, & Filonoum, ubi veram negavit corporum exiſtentiam, eaque meras eſſe phantaſiae immutationes pronuntiavit. Dicendum tamen, eum, qui rerum veritatem negat, hominem eſſe perditiſſimum. Nam rerum exiſtentiam phantaſiae ſoli commendare, eodem redit, ac religionem diruere, amoliri ſanctitatem, humanamque ſocietatem evertere. Ubi omnia ſint phantaſtica, Chriſtus non venit in mundum, mortuus non eſt, nec reſur-*

illud inde conſequitur, quod cum entitas ipſa, ut aiunt, vel archetypa divinae mentis imago variari non poſſit; ita quoque metaphyſica veritas alterari nequit.

Tertio *bonitas metaphyſica*, quae ad voluntatem, eiuſque amorem refertur, eſt *attributum transcendens, quo dicitur quidpiam in ſuo genere perfectum* (1), vel etiam eſt *ipſum ens, quatenus ab alicuius voluntate diligi poteſt*. In hoc autem conſiſtit bonitas metaphyſica, quod ens omne *bonum eſt*, vel Deus ſit, qui per eſſentiam bonus, nimirum ſumme perfectus eſt, vel a Deo ſit profectum, & hoc nomine bonum eſt, quod ſupremi boni quaedam ſit participatio (2). Hinc bonitas metaphyſica, veri-

ſurrexit, ſuamque non fundavit Eccleſiam. Ubi nihil exiſtat, nullius ſunt pretii opera bona; nullus eſt pauper, quem enutrias; quod adeas, templum nullum; nullus, quem amplectaris, hoſtis. Ubi omnia imaginatio ſint, abeunt in nihilum cives univerſi; nullus eſt filius, quem educes; nullus, cui imperes, ſervus; amicus nullus, quocum familiariter vivas. En errorum monſtra ex Idealiſtarum ſpecu educta.

(1) *Vox iſta* perfectum, *ut recte vir doctus monet, rebus arte factis primum tribui conſuevit, deinde rebus ceteris, & Deo. Definitur autem* perfectum *ab eodem viro*, quod omnibus proprietatibus, quae ad id pertinere putamus, praeditum eſt. *Hinc fini ſuo reſpondet, quia ea omnia habet, quae ad eius naturam pertinent, vel ipſi ineſſe debent.*

(2) *Ens omne creatum duplex eſt; alterum ab homine conditum, alterum a Deo. Ab homine conditum id perfectum dicitur*, quod fini, cui praeſtando conſtitutum eſt, apte

veritatis inſtar, alterari nec illa poteſt, neque ens ipſum aliquando bonum, aliquando malum pronunciari. Quidquid enim a Deo producitur, eſſe debet ens, ab ipſo amari; proindeque bonum cenſendum eſt, cum in operando repugnet Deo ab ipſa rei producendae perfectione deficere (1). Praeter bonitatem metaphyſicam, ſeu abſolutam eſt & bonitas *moralis*, ſeu *relativa* (2), quae defi-

---

apte reſpondet; *ſicuti oratio dicitur perfecta, ſi apte ad perſuadendum ſcripta fuerit. A Deo conditae res omnes vocari ſolent perfectae eadem quippe ratione*, cum fini, cui conditae ſunt, revera congruunt. *Ita homo dicitur perfectus, ſi toto animo incumbat in Dei amorem, cui amando conditus eſt.*

(1) *Optime in Sacris Literis de Deo dicitur Sapient. cap.* 11. *v.* 21. Diligis omnia, quae ſunt, & nihil odiſti eorum, quae feciſti: *& Ioan. cap.* 1. *v.* 3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. *Hinc dubitari certe non poterit, quin creatae res omnes in ſe ipſis* bonae *cenſeri, ac eſſe debeant. Solum peccatum neque a Deo diligi, neque probari, neque produci unquam poterit, quia peccatum ipſum non* ens, *ſed* entis privatio *eſt; non a* potentia *quadam, ſed ab* impotentia *oritur, nimirum ab ea producitur cauſſa, quae a fine ſibi natura propoſito deflectens effectum ipſum exerit, qui legibus opponitur, adeoque ſua rectitudine, vel boneſtate privatur.*

(2) *Ita bona, quae fortunae dicimus, in ſe quidem ſpectata bona abſoluta ſunt; ſi vero ad nos referantur, bona, aut mala eſſe poſſunt. Itaque malum abſolutum nec eſt in natura ullum, nec fingi poteſt. Si enim res quaepiam mala eſſet, nullam haberet ſuipſius cauſſam: a Deo nimirum*

definitur, *convenientia actionis liberae cum lege* [1]; nam vita moralis ex liberarum actionum ſerie, atque ordine coale-

mirum non eſſet; nam cum abſolutiſſima ſit eius natura, nullamque complectatur mali labem, origo rei malae eſſe nequit. Quod ſi alia cauſſa inducatur, quae mala ſit, reſque malas efficiat, pugna invehitur & oppoſitio, quibus rapientur omnia in perturbationem. Dicetur enim bellum, & pax una congredi; ſapientia, & inſania; nitor, & turpitudo, quorum alterum alteri inferet, & a quavis deterrebit operis productione. Exploratum illud fuit vel ipſimet Baylie Dict. Critic. artic. Manichaei litt. D, *qui tamen in evertenda duorum principiorum invicem adverſantium hypoteſi indulſit pro more Pyrrhoniſmo.*

(1) *Alii tamen alia ratione eam definiunt. Sicuti enim, ut ipſi aiunt, abſoluta rerum bonitas eſt perfectio quaedam, qua res omnis in finem dirigitur ſibi praeſtitutum; ita bonitas relativa eſt perfectio ipſa, quatenus in commodum cedit rei alterius. Opinatus quidem eſt Lockius* de intell. hum. lib. 2. cap. 21. n. 42., *bonitatem* relativam *in voluptate ſitam eſſe, quam quis percipit de aliqua re. Deceptus tamen turpiter fuit; innumera enim extare bona poſſunt, quae voluptatem nullam afferant, ſed animi potius aegritudinem ac moleſtiam. Eiuſmodi bonitatem in triplex diſtribuunt genus. Aliam quippe* honeſtam *dicunt*, utilem *aliam*, *aliamque* iucundam. *Honeſtum bonum eſt, quod rectae rationi congruit; quo pacto honeſtae ſunt litterae, quia ratio iubet, eſſe illas addiſcendas. Utile eſt, quod ad quidpiam conducit, & prodeſt; divitias propterea utiles vocant, quia comparandis inserviunt vitae commodis. Iucundum poſtremo eſt, quod quum aſſequimur, voluptatem affert; ita cibi appellari bona iucunda aſſolent, quod molliter fibras oris* per-

coaleſcit, eaque veluti totum aliquid, cuius partes ſunt actiones ſingulae, conſiderari poteſt. Itaque huiuſce totius perfectio poſita eſt in ſingularum partium conſenſu, quo nempe fit, ut ſingulae actiones liberae ad Creatoris fines dirigantur. Quod ſi humana voluntas a fine ſibi natura propoſito aberraverit, & effectum ipſum ſua perfectione, vel ordine, vel honeſtate deſtitutum produxerit; tunc humanae voluntatis actus malus vocabitur.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, ET SUBSISTENTIA ENTIS.

C A P. III.

EX omnibus entis attributis unum ſolet conſiderari tanquam primum, praecipuum, intimumque principium, ex quo attributa cetera dimanant, eorumque quaſi radix, & fundamentum eſt. Huiuſmodi autem prin-

percellant, gratumque inducant ſaporem. Univerſa autem haec bona varia ſunt & inaequalia pro diverſa hominum habitudine. Ex bonitatis idea evincitur, quid ſit malum relativum. Cum diſſentiat hoc ab optima Dei voluntate, triplex pariter eſt, ſcilicet inhoneſtum, inutile, iniucundum. Bonorum, malorumque limites nemo hactenus definivit; pro variis enim rerum plexibus, rationes illorum mutantur, ac naturam ſubeunt adverſam. Nam quod bonum cuipiam eſt, alteri eſt malum; quodque malum huic eſt, bonum eſt illi: aut quod bonum eſt, alii eſt melius; quodque malum eſt, ſi ad alium referatur, fit peius. Immo homini eidem, quod nuper bonum erat, mox malum evadit pro diverſa locorum, ac temporum indole.

principium illud profecto eſt, quod entis *eſſentiam* (1) vocamus. Ubi vero concipitur principium illud tanquam cauſſa, & origo operationum, quae ab ente ipſo producuntur, *natura* (2) ſolet appellari (3). Verum eſſentiae, atque naturae voces ſolo nomine diſtinguuntur; cum enim, ut praefert vulgatum illud axioma, *operari ſequatur ad eſſe*; unus idemque cenſeri debet fons, & principium, quo ens aliquod eſſe, ſimulque operari concipitur. His conſtitutis, eſſentiae nomine intelligitur *id, quod intrinſece ens aliquod conſtituit*; ſeu *principium illud, quod dat eſſe rei, ipſamque determinat certo, diſtinctoque*

entis

(1) *Carteſii interpres Claubergius in Metaphyſ. de Ente.*

(2) *Naturae vox ſignificat principium* activum. *Quod nimirum agit, & explicat vires, quibus effectum aliquem pariat, dicitur* natura. *Principium hoc naturale duplex eſt, nempe* phyſicum, *&* morale; *effectus enim phyſici a natura phyſica dimanant, morales vero a morali. Quod phyſicum eſt, pendet a motu, quo corpora diverſimode conformantur, & transferuntur; quod autem morale eſt, rationi dumtaxat innititur, & conſilio, quo humanae reguntur actiones. Ea de cauſſa duplicem Stoici admittebant naturam, ut videre eſt apud Tullium* de Natura Deor. lib. 2. cap. 32., irrationalem *nimirum*, *&* rationalem.

(3) *Homo per eſſentiam eſt animal rationale; per naturam vero, ut Tullii verbis l. 1. de offic. c. 4. utamur*, conſequentia cernit, principia, & cauſſas rerum videt, eorumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus praeſentibus adiungit, atque adnectit futuras, facile totius vitae curſum videt, ad eumque regendum praeparat res neceſſarias.

Digitized by Google

entis genere : ita radiorum omnium aequalitas circuli eſſentiam determinat, & a ceteris entibus intrinſece, ac neceſſario ſecernit. Eſſentia duplex eſt, alia *phyſica*, alia *metaphyſica*. Phyſica, atque ſenſibilis per accidentium congeriem conſtituitur; adeoque eſt mutationi obnoxia, quia levem quamdam in ipſis accidentibus variationem ſine ſui deſtructione poteſt admittere. Eſſentia tamen metaphyſice ſpectata, quatenus nempe certo genere, ſuaque conſtat differentia, ita immutabilis eſt [1], ut ne illa quidem ab infinita Dei virtute alterari poſſit [2]; quidquid in contrarium ſenſerit Carteſius,

---

(1) *Quod dicimus eſſentias rerum immutabiles eſſe, id intelligendum eſt de eſſentiis ſeu ſpeciebus* metaphyſice *ſpectatis, nempe quatenus certo genere, ac differentia conſtare debent, non vero de ſpeciebus phyſicis, ac ſenſibilibus, quae cum per accidentium congeriem conſtituantur, non ita in indiviſibili conſiſtunt, quin levem quamdam in accidentibus mutationem ſine ſui deſtructione poſſint admittere. Nam parum vini, quod maiori aquae moli admiſceatur, ſpeciem aquae non ſolvit, quia* id, quod eſt modicum, quodammodo aſſumitur a plurimo *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 3. *Unde etiam iactura, puta oculi in homine, non obſtat, quominus corpus humanum remaneat.*

(2) *Eſſentiae rerum vel* factae *ſunt, vel* aeternae intelligibiles; *hae continentur in mente Dei, illae* extra *Deum exiſtunt. Eſſentiae intelligibiles proculdubio immutabiles ſunt. Nam cum eſſentia ſit principium illud, quod dat eſſe rei, ipſamque determinat in certo diſtinctoque entis genere; ſi principium illud varietur, ipſa quoque res conſtituta, quae hoc eſſe receperat, & a quo conſtituta*

erat

teſius , aliique philoſophi , qui intimas rerum eſſentias a Deo mutari poſſe , ut *materia cogitandi capax* , *trian-*

gulum

---

erat in certo diſtinctoque entis genere , variabitur . Poterit quidem Deus ens quodlibet a ſe productum deſtruere , ſingularem illius eſſentiam in nihilum redigere , novamque aliam eſſentiam , proindeque novum ens creare : ſed efficere certe non poterit , ut , eſſentia vetere adhuc integra , novum ens producatur . Hoc tamen illius Omnipotentiae minime repugnat . Siquidem , ut cauſſa quaedam omnipotens ſit , aut infinita vi praedita , neceſſe eſt , ut infinita rerum genera , vel infinitos effectus ſibi non repugnantes producere ictu oculi poſſit . Itaque cum effectus illi poſſibiles , nullamque repugnantiam in ſe continentes , ſint infiniti , & divina vis , ac poteſtas eiuſmodi effectibus producendis par eſſe poſſit , infinita quoque erit Dei poteſtas Ex ipſa quoque ratione deducitur Dei omnipotentia . Cum enim Deus omnia ex nihilo , ſive non ente *creaverit , idque non ſine infinita potentia peragatur ; manifeſtum eſt ex creatis etiam rebus Dei poteſtatem infinitam eſſe ; adeoque inutile eſt , omnipotentiam ex impoſſibilibus , aut repugnantibus rebus inquirere , ac demonſtrare . Accedit etiam , quod ens illud , cuius eſſentia variata foret , non amplius unica , ſed duplici conſtaret eſſentia , quarum una alteram deſtrueret , adeoque ſimul eſſet , ac non eſſet ; quo nihil abſurdius poteſt excogitari . Denique rerum eſſentiae archetypis ideis illis , & imaginibus reſpondent , quas ab aeterno Deus in mente habuit : atqui imagines illae nitidae , diſtinctaeque eſſe debent , ideoque confundi , & mutari non poſſunt , ut cum archetypo , ſeu divino exemplari , quod immutabile eſt , conſentiant ; ergo eſſentiae ideis illis reſpondentes immutabiles eſſe debebunt . Hic autem advertendum , eſſentiam ipſam , ſeu naturam tum*

exi-

galum quinque lateribus circumſcriptum, & contradictoria effici ab ipſo poſſe dictitarunt[1]. Id autem quam a vero

---

exiſtentibus *omnibus*, futuriſque *rebus*, *tum* poſſibilibus *ſeu non repugnantibus convenire. Hinc cum infinita rerum genera, & in quolibet entis genere infinita prorſus individua eſſe poſſint, patet, eſſentiam ipſam in infinitis omnibus rebus poſſibilibus reperiri debere.*

(1) *Deum contradictoria facere poſſe; rerumque eſſentias aeternas, immutabiles, & neceſſarias non eſſe, Carteſius docuit tum in* Reſponſ. ad obiect. ſext., *quae illius* Metaphyſicis Meditationibus *ſubiectae ſunt*, §. *6.* & 8., *tum* Epiſt. Tom. 1. epiſt. 90. & 95., & Tom. 2. ep. 6. *Neque eſt, cur ab hoc errore Carteſius purgare quiſpiam conetur, quod in* 5. Metaphyſ. Meditatione *rerum naturas* aeternas, & immutabiles *eſſe profiteatur: nam hoc loci eo ſenſu rerum naturas aeternas, atque immutabiles eſſe dicit, ut tales ſint quoad homines, quia Deus ab aeterno eiuſmodi eſſe voluit, non vero quia per Dei virtutem mutari non poſſint. Num autem Deum impoſſibilia facere poſſe, Carteſius primus omnium docuerit, incertum eſt. Cudworthus* Syſtematis intellectualis *cap. 5. ſect. 1. §. 21. affirmat: Moshemius vero in* Adnotationibus *ad laudatum §. Cudworthi contra pugnat, atque plures fuiſſe arbitratur, qui ante Carteſium Deum impoſſibilia facere poſſe propugnarint. Quinam iſtorum verius ſenſerit, nihil ad rem noſtram refert: atque illud ſolum monendum eſſe arbitramur, has loquendi rationes, quae apud nonnullos leguntur ſcriptores*, Deum *ſcilicet* impoſſibilia facere poſſe; Deum omnia poſſe, praeterquam mentiri, *de iis rebus commode accipi poſſe, quae, impoſſibile eſt, ut a nobis fiant, hoc eſt quae quoad nos ſunt impoſſibiles; non vero neceſſe eſſe, ut de iis quoque intelligantur, quae ſim-*

ro abhorreat, hac dumtaxat evidentiſſima D. Thomae ratione poteſt comprobari. *Quidquid*, inquit Sanctus Doctor [1], *poteſt habere rationem entis, continetur ſub poſſibilibus abſolutis, reſpectu quorum Deus dicitur Omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, niſi non ens. Hoc igitur repugnat rationi poſſibilis abſoluti, quod ſubditur Divinae omnipotentiae, quod implicat in ſe eſſe, & non eſſe ſimul. Hoc enim omnipotentiae non ſubditur, non propter defectum divinae potentiae, ſed quia non poteſt habere rationem factibilis, neque poſſibilis. Quaecumque igitur contradictione non implicant, ſub illis poſſibilibus continentur, reſpectu quorum dicitur Deus Omnipotens. Ea vero, quae contradictionem implicant, ſub divina omnipotentia non continentur, quia non poſſunt habere poſſibilium rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non poſſunt fieri, quam quod Deus ea non poſſit facere.*

ſimpliciter in ſe impoſſibilia ſunt, uti etiam Mosbemius concedit, licet Carteſianae opinionis defenſores plus aequo, atque cum ſumma aliorum iniuria augeat. Nam non ſolum Clerico Ontologiae cap. 4. §. 8., *&* cap. 14. §. 11. *Carteſium in hac ſententia fuiſſe affirmanti, ne* Tranſubſtantiationem *e medio tollere videretur, ſine ulla dubitatione in* Adnotationibus *ad laudatum Cudworthi caput aſſentitur; ſed etiam hoc loci tradit eos omnes in eodem errore eſſe detentos, qui* Tranſubſtantiationem *admittunt. Quam falſo tamen ita putet, alienum eſt ab inſtituti noſtri ratione demonſtrare. Neque vero id neceſſe eſt, quum in* Tranſubſtantiationis *myſterio contradictioni locum non eſſe, ſatis iam ſit a viris eruditiſſimis demonſtratum.*

(1) *Part.* 1. *quaeſt.* 25. *art.* 3.

Eſſentiae, quam poſſibilibus quoque rebus convenire conſtat, quia ens illud poſſibile dicitur, in cuius eſſentia rite percepta nulla ineſt repugnantia, nova altera, ac diſtincta perfectio, quae mere poſſibilibus convenire nequit, adiungenda eſt. Haec autem in entibus iam productis reſultans, eorumque eſſentiae ſuperaddita, *exiſtentia* vocatur, quae ſolet a Philoſophis definiri, *ſiſtentia*, ſeu *poſitio rei extra nihil*, *& omnes cauſſas* (1); vel potius *id*, *quo res actu eſt*. Eſſentia igitur ab exiſtentia diſtingui debet, cum illa entibus etiam mere poſſibilibus conveniat; haec vero iis dumtaxat, quae producta iam ſunt, ſeu producenda fuerint. Praeterea poſita rei cuiuſdam exiſtentia, neceſſario debet admitti certa, ac diſtincta illius rei eſſentia; at non viciſſim, quoniam exiſtentia (2), ſi Deum unum exceperis, minime eſt creatis rebus neceſſaria. Denique eſſentia, atque exiſtentia non ſolum ſubſtantiis, verum etiam accidentibus (3) poſſunt competere. Ter-

(1) *Cum enim res omnis, priuſquam exiſtat, concludatur in cauſſis, per exiſtentiam ab illis eruitur, & in peculiari loco conſtituitur. Res proinde quaelibet eſſe in alia per eſſentiam dicitur; & per exiſtentiam in ſemetipſa.*

(2) *Statim ac eſſentia exiſtentiam recepit, ea* ſingularis *efficitur, cum prius indifferens, ac* univerſalis *eſſet. Nam eſſentia illa in unico ſolo ſubiecto vel individuo adeo reperitur, ut alteri ſubiecto ineſſe, vel convenire non poſſit; ut eſſentia hominis in Platone; natura circuli in dato circulo B.*

(3) *Accidentia, ſeu modi vocantur entia illa, quae exiſtere, & conſervari nequeunt, niſi ſubſtantiae cuidam inhaereant,*

Tertium, atque poſtremum entis attributum, quod non in accidentibus, ſed in ſubſtantiis dumtaxat exiſten-

reant, quam afficere, vel modificare dicuntur: adeoque nec ab intellectu noſtro concipi perfecte poſſunt, niſi ad ſubſtantiam ipſam, veluti ſubiectum, referantur, in quo ſubſiſtant, qua quidem ſublata interire vel auferri videntur. Modorum alii ſunt interni, alii externi. Interni ii ſunt, qui ita ſubſtantiae intrinſecus inhaerent, ut ab ea nec eſſe, nec intelligi poſſint disiuncti; veluti figura, motus: ubi enim eſt figura ſine corpore? motus ſine mobili? Externi ii dicuntur, qui non reapſe in ſubſtantia exiſtunt, ſed a mente noſtra concipiuntur veluti certum quid, quod eam afficiat, cuiuſmodi ſunt relationes omnes, de quibus paullo inferius diſſeremus. Exinde conſequitur, 1. ſubſtantiam phyſice ſpectatam ſine ullis modis eſſe non poſſe, licet metaphyſice conſideratam a modis omnibus ſeiunctam eſſe poſſe perſpicuum ſit, quia idipſum ſignificat ſubſtantia metaphyſice accepta, nempe naturam a modis ſeparatam: 2. modos internos reipſa nihil aliud eſſe, quam ſubſtantiam, quae hoc, vel illo modo ſe habeat; unde ab ea ſeparari ipſi nequeant. Incredibile dictu eſt, quot logomachiae de modorum ſeu accidentium natura audiantur in quorundam Philoſophorum Scholis, qui abſtractis ideis decepti, quibus propriam naturam, & exiſtentiam ſolent tribuere, acriter contendunt, modos eſſe entia quaedam, quae ſeorſim a ſubſtantia poſſint exiſtere. Non eſt conſilium, diſputationes tam inanes vel ſummis labris deguſtare; neminem enim bona philoſophia initiatum poteſt latere, ex praeiudicata opinione formarum diſtinctarum has contentiones omnes derivaſſe. Tollantur praeiudicia, reſque libero ponderetur iudicio; exploratum quidem erit, eiuſmodi entia nulla omnino eſſe. Quamobrem ſat erit monere, nullum modum internum a ſubiecto ſepara-

tibus admitti debet, & quo res aut eſſentia quaedam exiſtens, ita numeris omnibus abſoluta concipitur, ut exi-

---

ri poſſe ; nec aliud eſſe rotunditatem, *aut* magnitudinem *globi aurei, quam aurum ipſum hoc modo affectum, eaque magnitudine conſtans. Poſſum profecto rotunditatem abſtracte contemplari ; ſed intelligere exiſtentem ſine materia, cui inſit, minime poſſum. Si negant, oſtendant* rotunditatem, *&* motum, *huiuſque generis alia ſine ſubiecto, iiſque habebimus gratiam de tam mirabili explicatione phaenomeni. Fide quidem Catholica ſanctum eſt, & in Conciliis, Tridentino praeſertim conſtitutum, ſub* ſpeciebus *panis, & vini in Auguſtiſſimo Euchariſtiae Sacramento non panis, & vini naturam & ſubſtantiam, ſed verum Chriſti corpus contineri. Sed an praedictae* ſpecies, *accidentia* abſoluta *ſint, ut volunt Scholaſtici, vel potius merae* ſpecies, *ut putant recentiores Philoſophi, nuſquam definivit Eccleſia, nec unquam eiuſmodi controverſia in Eccleſia obtinuit : immo vero nuſquam legimus, de* ſpecierum *exiſtentia in Euchariſtia fuiſſe dubitatum. Quare & Scholaſtici, & recentiores Philoſophi per Eccleſiae leges ſuam propugnant ſententiam. Recentiorum autem explicandi ratio magis conſentanea videtur tum ipſis Conciliorum verbis, quae perpetuo utuntur voce illa* ſpecies, *tum recentioris phyſicae inventis ; nam ex iis, quae in corporibus obſervat, non ſolum deducit, modos internos ſine ullis entibus a ſubſtantia diſtinctis recte intelligi ; ſed etiam oſtendit, Euchariſticas ſpecies ſine* abſolutorum modorum *praeſidio facile, & perſpicue explicari, ſalva & incolumi, ut ita dicamus, Catholici Dogmatis ſubſtantia. Ratio autem, qua Philoſophi recentiores exponunt* modos, *ſeu* ſpecies *Euchariſticas, habetur apud Saguenſium Gallum, & Toſcam Hiſpanum, qui ex diſciplina Maignani philoſophantur. At mea quidem ſententia palmam prae-*

exiſtere, conſervari, aut operari illa poſſit independenter ab alia, *hypoſtaſeos*, ſive *ſubſiſtentiae* nomine inſignitur. Hypoſtaſis (1) graece nihil aliud apud veteres tum

praeripuiſſe omnibus videtur vir apprime doctus P. Fortunatus a Brixia Franciſcani Ordinis, Philoſophiae Profeſſor in Academia Brixiana libro inſcripto : Diſſertatio Phyſico-Theologica de qualitatibus corporum ſenſibilibus, *qui omnia rationibus confirmat ſolidiſſimis. Cum itaque graviſſimi tum Philoſophi, tum Theologi id eruditiſſime demonſtrarint, omnemque evadendi occaſionem adverſariis audacius inſultantibus praecluſerint, non eſt, cur iis diuturnius immoremur.*

(1) Hypoſtaſeos, & Uſiae *nomina uſurpari in Concilio Alexandrino coepere anno 319. Inducta fuiſſe ferunt, teſte Baronio* ad an. 319. num. 24., *Hoſii Cordubenſis Epiſcopi auctoritate ; quo Sabellianorum ſophiſmata eluderentur, & Auguſtiſs. Triadis myſterium propugnaretur. Sabellius enim unicam in Deo eſſentiam, non autem tres Perſonas admittebat. Unde Patres unicam Dei Uſiam, vel Eſſentiam conſtituerunt, ac tres Hypoſtaſes, quo nimirum nomine Perſonas deſignabant. A vocibus hiſce originem duxit ſchiſma Antiochenum ; veterum enim multi tres hypoſtaſes in Deo eſſe affirmabant, alii vero unicam. Ambigebant quippe, an hypoſtaſis eſſentiam, vel perſonam ſignificaret. Anno Chriſti 360. diſſidium de hypoſtaſi recrudeſcere coepit. Nam qui unicam admittebant hypoſtaſim, vocabantur Sabelliani, quaſi hypoſtaſeôs voce perſonam ſignificantes tollerent Trinitatem : qui autem hypoſtaſim triplicem volebant, Ariani habebantur ; quaſi dictione illa perſonam non deſignarent, ſed eſſentiam vel naturam. Hinc Athanaſius quo diſſentientes componeret, Concilium Alexandrinum advocavit an. 362., ubi partium ſententiis accu-*

tum ſacros, tum prophanos ſcriptores deſignabat, niſi ſubſtantiam ſingularem, vel naturam. Scriptores tamen Eccleſiaſtici, ut ſanam, receptamque à Patribus doctrinam circa Auguſtiſſimae Triadis, & Incarnationis Myſteria tuerentur, & explicatius traderent, hypoſtaſin non ſubſtantiae aut naturae, ſed ſubſiſtentiae, vel ſuppoſiti nomine latine reddiderunt. Nunc igitur vox haec hypoſtaſis in abſtracto *ſubſiſtentiam*, in concreto *ſuppoſitum* ſignificat. Subſiſtentia definitur, *ultimum ſubſtantiae complementum eam reddens ſui iuris, ſeu incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito*. Haec autem diſtingui debet a *ſubſtantia*, *ſubiecto*, atque *ſuppoſito*. Subſtantia enim ens illud eſt, quod concipi, produci, atque exiſtere poteſt independenter ab alio, nihilque prorſus requiritur, ut exiſtere illud poſſit, quam cauſſa, a qua producatur. Subiecti vero nomine intelligitur ens illud, quod ita recipit aliud a ſe diſtinctum, ut ab ipſo determinetur, ac perficiatur: ita corpus humanum dicitur animi ſubiectum;

---

accurate expenſis facultatem cuique fecit, quod vellent, dicendi. Latini tamen Patres, praeſertim vero Hieronymus Epiſt. 57., *& Auguſtinus* de Trinit. lib. 5. cap. 8. *Athanaſii ſanctionem improbarunt. Denique in Conciliis Chalcedonenſi* Act. 5. in ſecunda Fid. confeſs., *Epheſino* Anathem. 2. *&* 4., *Byzantino primo* Synod. ad Damaſ. Epiſt., *& tertio, quod fuit oecumenicum ſextum* Act. 5. in Epiſt. Agath. *definita fuit Eſſentiae unitas, & Hypoſtaſium trinitas. Ita Eccleſiae definitio fert, populorumque omnium conſenſio; a quibus qui recederet, inſipienter ſe gereret, notaque eſſet temeritatis, & impudentiae inurendus.*

Digitized by Google

ctum ; recipitur quippe animus in corpore, quod ab animo ipſo determinatur, atque perficitur. Suppoſitum tandem eſt ſubſtantia ſingularis ultimo completa, & ſui iuris, vel alteri incommunicabilis. Dicitur autem ſubſtantia ultimo completa, ſui iuris, aut incommunicabilis alteri ; utpote quae eſt principium totum, & integrum ſuarum affectionum, vel operationum, ſi quas habet ; quemadmodum Plato, non ſola ipſius mens, nec ſolum corpus, eſt ſuppoſitum ; quia Plato ipſe eſt principium totum, & integrum ſuarum operationum. Itaque ſubiectum, cui tres illae perfectiones, eſſentia nempe, exiſtentia, & ſubſiſtentia inhaerent, atque conveniunt, ſuppoſitum appellatur : quod ſi rationis particeps fuerit, *perſona* vocabitur, quae optime a Boethio (1) definitur, *Rationalis naturae individua ſubſtantia* (2).

Ex

---

(1) *Lib. de Perſ. & Nat. c.* 3.

(2) *Plurimum autem intereſt notionem perſonae claram, & diſtinctam habere in re Theologica pertractanda ; qua in re cum Theologi Chriſtiani non ſatis inter ſe convenerint, quot turbas excitarunt de Trinitate, & Ieſu Chriſto Servatore noſtro diſputantes! Quod interim monemus, eſt, ne dum de Perſonis Divinis loquimur, perſonae notionem ex rebus noſtris accipiamus, ſcilicet pro* individuo rationali ; *cuius natura ab aliorum naturis diſtincta ſit, atque ſeiuncta. Etenim eam ob cauſſam decepti Photiniani, & Sociniani Trinitatem Divinam, ut rem* contradictionem involventem *reiecerunt. Appoſite D.Thomas* 1. par. q. 29. art. 4. in corpore : aliud eſt, *inquit*, quaerere de ſignificatione huius nominis *perſona* in communi, & aliud

de

Ex iis, quae hactenus expoſuimus circa eſſentiam, exiſtentiam, ac ſubſiſtentiam entis colligitur: 1. perſonam, aut ſuppoſitum ab hypoſtaſi ſolum, vel ſubſiſtentia oriri, atque conſtitui; cum eſſentia, & exiſtentia non ſolum ſubſtantiae conveniant, verum etiam accidenti. 2. Conſtat inſuper, quod pluribus, diſtinctiſque admiſſis ſubſiſtentiis, plura quoque erunt ſuppoſita, pluresve perſonae. 3. Infertur, quod in rebus creatis, ubi plures hypoſtaſes, totidemque ſuppoſita, vel perſonae fuerint, totidem quoque eſſe debent ſingulares eſſentiae, aut naturae; cum in creatis rebus hypoſtaſis multiplicari nequeat, quin eſſentia, ſeu natura ipſa mul-

---

de ſignificatione Perſonae Divinae. Perſona enim in communi ſignificat ſubſtantiam individuam rationalis naturae, ut dictum eſt: individuum autem eſt, quod eſt in ſe diſtinctum, ab aliis vero diſtinctum. Perſona igitur in quacumque natura ſignificat id, quod eſt diſtinctum in natura illa, ſicut in humana natura ſignificat has carnes, & haec oſſa, & hanc animam, quae ſunt principia individuantia hominem: quae quidem licet non ſint de ſignificatione perſonae in communi, ſunt tamen de ſignificatione perſonae humanae. Diſtinctio autem in Divinis non fit, niſi per relationes originis, ut dictum eſt ſupra. Relatio autem in divinis non eſt ſicut accidens inhaerens ſubiecto, ſed eſt ipſa Divina Eſſentia; unde eſt ſubſiſtens, ſicut Eſſentia Divina ſubſiſtit ..... Perſona igitur Divina ſignificat relationem in Natura ſubſiſtentem. *Itaque ex mente D. Thomae tres Divinae Perſonae ſunt* unius eſſentiae & ſubſtantiae, tres relationes ſubſiſtentes.

multiplicetur. De eo tamen, quod ad Divinam ſpectat Naturam, Divinaſque Perſonas, ſecus ratiocinari debemus; etenim hypoſtaſis, proindeque perſona multiplex quidem in Deo eſt, eſſentia vero, atque natura ſimplex omnino, atque unica in pluribus perſonis illis admitti debet; quoniam nulla proprietas, atque perfectio effingi poteſt, cuius ope natura valeat in partes diſtingui, adeoque multiplicari (1). Et re quidem vera divinae Fidei lumine, divinaque Revelatione edocemur, in Myſterio ineffabili Sanctiſſimae Trinitatis tres eſſe Perſonas invicem diſtinctas adverſus Sabellium, eiuſque ſectatores Sabellianos; unicam tamen eſſentiam, & naturam contra id, quod impie ſenſit Arius. Viciſſim vero erudimur in Incarnationis Myſterio; nam duplex natura, divina ſcilicet, & humana contra nefariam Eutychetis doctrinam, duplexque voluntas adverſus Monothelitas eſt in Chriſto admittenda; unica tamen, eaque Divina Perſona contra Neſtorium (2). Etenim increata hypoſtaſis,

(1) *Cum enim eſſentia ab hypoſtaſi diſtinguatur, ſi haec debeat aliqua de cauſſa multiplicari, & illa, ideſt eſſentia, nulla de cauſſa dividi vel multiplicari poſſit, una prorſus, eademque eſſentia pluribus diſtinctiſque perſonis ineſſe poterit.*

(2) *Notandum, quod ſubſiſtentia non tollitur qualibet unione, ſed ea ſolum, quae impedit, ne ſubſtantia ſingularis ſit principium totum & integrum ſuarum actionum, vel paſſionum. Tripliciter autem uniri poteſt aliquod ſuppoſitum, ſcilicet cum ſubſtantia, quae perfectione praedita eſt 1. maiore, 2. aequali, 3. minore.*

Et 1.

ſtaſis, ſeu Divina Perſona vices implevit hypoſtaſis creatae, vel humanae perſonae; proindeque in Chriſto ipſo

---

Et 1. *ſi ſuppoſitum uniatur cum nobiliore, ita ut in ſuis operationibus a nobiliore pendeat; ſuppoſitum minus nobile deſinit eſſe ſuppoſitum, ſubiacet alteri, neque amplius eſt principium totum, atque integrum ſuarum operationum. Quapropter natura humana in Chriſto propriam habet exiſtentiam, & in ratione naturae eſt completa, non tamen propriam habet ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem, proindeque non eſt ſuppoſitum ſeu perſona, quia in ſuis operationibus pendet a Divinitate tanquam a principio totali ſuarum operationum.*

2. *Si ſubſtantia cum altera aequalis perfectionis iungatur, ita ut a ſe invicem pendeant; utraque rationem ſuppoſiti amittit, quia non habent ambae rationem totius, ſed fiunt partes totius alicuius ſuppoſiti, ex totali earum unione exſurgentis; ut ex duabus aquae guttis fit unicum totale ſuppoſitum.*

3. *Si tandem ſubſtantia nobilior cum minus nobili copulata ab hac pendeat in ſuis operationibus, ut anima hominis a corpore; [corpus enim etſi voluntatis imperio movetur, anima viciſſim ob varios corporis motus multifariam turbatur, modo affligitur, agitatur; viget modo, exhilaratur, & gaudet;] illa non eſt ſuppoſitum, ſed ſuppoſitum ex duabus ſubſtantiis coaleſcit, quarum utraque ab altera pendet, ut Socrates. Sed ſi nobilior non pendeat in ſuis operationibus a ſubſtantia minus perfecta, licet haec ab illa pendeat; hoc ipſo ſola nobilior erit ſuppoſitum. Quare Natura Divina in Chriſto, eo ipſo quod a natura humana non pendeat, habet rationem ſuppoſiti, ſive perſonae; non autem natura humana, quia non habet partem in operationibus mere divinis Verbi ſibi uniti, nec in humanis*

ipſo neque humana hypoſtaſis, neque humana perſona reperitur, ſed humana natura a Divina Perſona aſſumta, ſibique [1] coniuncta. Quoniam vero operationes omnes non eſſentiae aut naturae, ſed perſonae veluti cauſſae adſcribi debent, & ab ipſa oriuntur iuxta vulgatum illud effatum, *operationes ſunt ſuppoſitorum*; hinc eruitur, quod omnes Chriſti operationes, quippe quae a Divina Infinita Perſona veluti cauſſa oriebantur, infini-

ti

manis, quae voluntati divinae omnino ſubiiciuntur, ab eaque diriguntur.

(1) *Graviſſimae circa adoranda Sanctiſſimae Trinitatis, ac Verbi Incarnati Myſteria exortae ſunt haereſes, quae Religionem Chriſtianam diu, multumque dilacerarunt. Illud autem factum eſt, quia haec omnia impii homines confundebant, naturam, ſubſtantiam, ſubſiſtentiam, ſuppoſitum, ſive perſonam. Et primo quidem circa Auguſtiſſimae Trinitatis Myſterium ſic ratiocinabatur Sabellius:* Natura, & Perſona minime diſtinguuntur: atqui unica eſt in Deo natura; ergo unica Perſona. *Arius vero ſic aſſumebat:* atqui tres ſunt in Deo Perſonae; ergo & tres naturae. *Utrumque tamen damnavit Eccleſia, quae & Scripturarum auctoritate, & Traditionis perpetua ſerie ſuffulta, unam in Deo Naturam, & tres Perſonas adverſus haereticos aſſeruit. In Myſterium Incarnationis Verbi Divini miſere impegerunt Eterodoxi. Neſtorius quidem ita argumentabatur:* Natura, & Perſona ſunt quid idem: atqui in Chriſto ſunt duae Naturae; ergo & duae Perſonae. *Eutyches vero ſic inſurgebat:* atqui unica eſt in Chriſto Perſona; ergo & unica Natura. *Utrumque pariter errorem proſcripſit Eccleſia, quae unam in Chriſto Perſonam, & duas Naturas Divinam ſcilicet, & humanam agnoſcendas definivit.*

Digitized by Google

ti valoris ac dignitatis eſſe debebant. Praeterea cum eiuſmodi operationes ſint & a Verbo, & a natura humana ipſi hypoſtatice unita (1), veluti ab una Perſona oriundae; exinde conſequitur, ut operationes iſtae Theandricae, nempe Divino-humanae a Theologis nuncupentur. Verum ultra progredi nefas eſſe putantes, haec Theologis ipſis clarius exponenda relinquimus tutiſſimo Divinae Revelationis praeſidio.

DE

---

(1) *Humanitas ſeu humana natura in Chriſto propriam non habet* ſubſiſtentiam, *vel perſonalitatem*, *ut aiunt*, *quia non eſt* ſui iuris, *ſcilicet non eſt* principium totum & integrum operationum Chriſti; *cum eae ſint & a Verbo, & ab humanitate ipſi* hypoſtatice, *ut loquuntur*, *ſeu* perſonaliter, *tamquam ab una Perſona, eaque divina oriundae. Ex hac* hypoſtatica unione *ſequitur* communicatio idiomatum, *vel proprietatum duplicis naturae, divinae, ſcilicet & humanae in Chriſto. Per hanc igitur communicationem efficitur, ut tum eae naturae de ſe mutuo concreto nomine enuncientur; veluti* Deus eſt homo; homo eſt Deus: *tum divinae naturae proprietates de humana dicantur, ac viciſſim; ut* Deus eſt mortalis; homo eſt immortalis: *tum denique utriuſque naturae proprietates de Chriſto ipſo praedicentur; ut* Chriſtus eſt infinitus, aeternus &c.; Chriſtus fuit de Spiritu Sancto conceptus, natus eſt ex Maria Virgine. *Dixi paullo ſuperius* concreto nomine, *quia nullo pacto dici poſſet in abſtracto*, humanitas *in Chriſto eſt* divinitas, *aut viciſſim*.

DE ENTE NECESSARIO, ET CONTINGENTE; DE IMMUTABILI, AC MUTABILI; DE INCORPOREO, ATQUE CORPOREO.

C A P. IV.

ENs *neceſſarium* vulgo ſolet definiri, *id, quod non poteſt non eſſe*. Quid autem eſt, non poteſt non eſſe? Id, quod a nulla cauſſa libera deſtrui, aut in nihilum redigi poteſt. Hinc ens neceſſarium poterit rectius definiri, *id, quod a nulla cauſſa libera deſtrui poteſt*. Cumque Deus a nulla eiuſmodi cauſſa deſtrui poſſit, ille ſolus erit ens neceſſarium (1). Res autem omnes creatae tametſi

(1) *Cetera entia praeter Deum contingenter ſolum exiſtunt, ideſt exiſtere, vel non exiſtere etiam poſſunt, eo quod in iis exiſtentia ab eſſentia perſpicue diſtinguatur; adeoque ipſorum eſſentia ſine exiſtentia concipi perfecte valeat. Eſſentiae autem rerum, & attributa ſunt abſolute neceſſaria, & immutabilia, & aeterna; modi vero ſunt hypotetice tantum neceſſarii, mutabiles, & non aeterni.* [*Vide P. Iacquier Metaphyſ. Par. 1. cap. 2. pag. 41.*] *Itaque contingens, & neceſſarium opponi dicuntur; ita ut quod unum eſt, nequeat eſſe alterum. Ens poteſt etiam eſſe neceſſarium* phyſice, & hypotheticé. Phyſice *neceſſarium eſt illud ens, cuius oppoſitum naturae creatae legibus repugnat, adeoque ſolis naturae creatae viribus eſſe, & produci nequit; ut phyſice neceſſarinm eſt Lunae deliquium, ſi telluris globus Solem inter, atque ipſam Lunam repe-*

etſi invicem nequeant inter ſe deſtrui, a Deo tamen poſſunt in nihilum redigi, proindeque neceſſariae non ſunt (1); nihil enim Deo nolente exiſtit, aut exiſtere poteſt. Entia itaque creata non ſunt neceſſaria, ſed ſolum contingentia, ſcilicet poſſunt eſſe, aut non eſſe: ita enim a Philoſophis definitur ens *contingens*.

Ens *immutabile* eſt *illud, quod novum eſſe recipere, & vetus nequit amittere*. Mutabile vero *illud eſt, quod novum eſſe, novumque ſtatum recipere poteſt*; unde mutatio entis diſpeſcitur in ſubſtantialem, & accidentalem. *Accidentalis* dicitur illa, qua novus tantum modus in ſubſtantia producitur; ut cum cera quadrata rotunda fit (2). *Subſtantialis* autem mutatio ea eſt, qua nova ſubſtan-

---

reperiatur; lapidem gravitare, ab igne calorem emitti &c. Oppoſitum quippe non patitur naturae lex. Hypothetice *vero neceſſarium dicitur illud, cuius neceſſitas, & exiſtentia ex aliqua conditione poſſibili ſolum, & contingenti pendet, qua poſita neceſſario concipitur, & exiſtit*.

(1) *Haberi tantum poſſunt* neceſſariae *res huiuſmodi comparatae inter ſe, poſitis naturae legibus, quae iſtos, illoſque motus praeſcribunt; quae quidem neceſſitas vocatur* hypothetica. *Poteſt tamen Deus, ut naturae leges ſancivit, ita eas impedire [ut in miraculis, quae vires naturales ſuperant, obſervamus;] ideoque reſpectu Dei ſunt* contingentes.

(2) *Cum autem modi, aut accidentia multiplicis ſint generis, [ut in Logica demonſtravimus] multiplex erit quoque mutatio accidentalis, quae nomen ex vario accidentis genere ſortitur. Et re quidem vera, ſi duorum tantummodo accidentium ratio habeatur*, quantitatis *nimirum, &* qua-

ſubſtantia producitur, eaque *generatio* dici ſolet; ut cum ex cibo fit ſanguis, & caro. Hinc patet, nova ſubſtantia producta, veterem aliam deſtrui debere, & interire [1]. Quod ſi divinae potentiae viribus res, & ſubſtantia quaedam ex nihilo producatur, productio illa non generatio, ſed *creatio* dici debet; cuiuſmodi eſt animi humani productio. Si autem ſubſtantia una in alterius generis ſubſtantiam increatae, infinitaeque potentiae vi convertatur, mutatio illa *tranſubſtantiationis* nomine venit; quae quidem in Auguſtiſſimo Euchariſtiae Sacramento contingit mirifica prorſus, & plene di-

qualitatis, *ex his varia mutationum accidentalium nomina derivant; mutatio enim ad* quantitatem *pertinens* augmentatio, *ſi quantitas haec novam acquirat quantitatem;* diminutio, *ſi haec quantitas decreſcat. Si vero eadem quantitas perſeverans ad maius, minuſve ſpatium redigatur*, rarefactio, *vel* condenſatio *vocabitur.*

Mutatio, qua nova acquiritur qualitas, *dicitur* alteratio; *plerumque tamen nomen ipſum, atque diſcrimen ex vario qualitatis acquiſitae genere exoritur, ut* dealbatio *ab albedine*, calefactio *a calore. Mutatio, qua corpus ex uno in locum alium transfertur*, motus *vocatur; qua vero corporis partes alio ordine diſponuntur*, ſitus, ordo, *vel* poſitura, *ex qua ipſa corporis* figura *dependet. Mutatio, qua aliquod ens prius indifferens, & iners operatur*, actio *dicitur: qua vero actionem ab altero producta excipit*, paſſio *nuncupatur; & qualitas illa, ſive facilitas ex pluribus iteratis actibus acquiſita*, habitus *appellari ſolet; quemadmodum ex pluribus iuſtitiae actibus ipſa iuſtitiae virtus, vel habitus contrahitur.*

(1) *Vide P. Iacquier P.* 1. *cap.* 3. *pag.* 49.

divina ratione ; nam Deus ad verba Sacerdotis conſecrantis omnem panis ſubſtantiam deſtruit , & Corpus Chriſti in eius locum ſub eadem ſpecie ſufficit [1]. Si tandem ſubſtantia ipſa in nihilum redigatur, non interitus, corruptio, mors, ſed *annihilatio* appellatur.

Illud itaque ex dictis conſequitur : 1. quod creatis corporeis ſubſtantiis conveniat mutatio tum ſubſtantialis, tum etiam accidentalis, ut in exemplis ſuperius traditis, cum de utraque mutatione diſſeruimus, fieri obſervavimus. 2. Si vero de creatis incorporeis ſubſtantiis ſermo ſit, accidentali quidem mutationi ſunt obnoxiae, quia novas ſpiritales affectiones induere poſſunt; illarum tamen ſubſtantia neque interire, ſed a Deo ſolum in nihilum redigi ; neque generari, ſed ex nihilo creari ab ipſo poteſt : quod opportunius demonſtrabitur in ſecunda Metaphyſices parte. 3. Denique nullum in Deo effingi poteſt mutationis genus, cum ipſe neque in ſubſtantia, neque in attributis alterari poſſit, ſed immutabilis eſſe debeat, ut alibi oſtendemus.

Ens *corporeum* ſeu *materiale* dicitur illud, in quo triplex demenſio reperitur cum pluribus aliis affectionibus, quae ſunt *gravitas*, *durities*, *calor &c.*, quaeque ſenſibus percipiuntur, ac *ſenſibiles* proinde vocantur, praeſertim vero *ſoliditas*, aut *impenetrabilitas*, qua corpus alteri reſiſtit, & ab alio penetrari non poteſt ; ex quo fit, ut unum, idemque ſpatium ſimul, eodemque tem-

(1) *Vuitaſſe Tract. de Auguſt. Euchar. Sacram. Part. 2. ſect. 2. art. 2.*

tempore nequeat a duobus corporibus occupari. Itaque veriſimilior ſententia fert, corporis eſſentiam in hoc uno poſitam eſſe, quod ſit *ſubſtantia*, *quae extenſionem exigat*, *eiuſque ſit capax*, ut ex ea deinde iuxta naturae leges a Deo conſtitutas *impenetrabilitas*, *ſoliditas*, *figura &c.* oriatur. At de hoc fuſius in noſtris Phyſicae Inſtitutionibus agemus.

Ens autem *incorporeum* illud eſt, quod partibus, & extenſione ita carere debet, ut eius attributa extenſionem omnem excludant (1). Perceptio itaque, ſubſtantiae

(1) *Hobbeſius*, *Tolandus*, *Collinſius*, *aliique complures ſolam* materiae *ſubſtantiam admittentes*, *adeoque* materialiſtae *appellati*, *incorporeas ſubſtantias impoſſibiles eſſe blaterant*. *Quod ubi aſſeverant*, *ipſam quoque materiam*, *eiuſque motum auferre debent*; *cum materia neque a ſeipſa produci*, *neque impelli*, *ſed ab extrinſeca cauſſa quadam fieri*, *moverique debuerit*, *quae materia non foret*. *Sic ubi Hobbeſius aſſerit*, *Deum corporeum eſſe oportere*, *quod ea*, *quae corpore deſtituta fuerint*, *nihil omnino ſint*; *ubi Tolandus incorporeas ſubſtantias phantaſmata eſſe putat*, *nitidam accuratamque ſubſtantiae ideam cum corporeo phantaſmate mire confundunt*; *cum tamen ſubſtantiae idea ab ipſa corporis & materiae idea diſtingui debeat*, *quamvis intrinſeca illa tum corporeae*, *tum incorporeae quoque ſubſtantiae idea perſpicue a nobis intelligi aut apprehendi nequeat*; *ſed illa tamen a variis modis*, *atque attributis illis*, *quibus fuerit affecta*, *abſtrahi ſecernique debeat*, *ut una proinde corporea*, *alia vero incorporea eſſe poſſit*. *Illud autem hoc loci obſervaſſe iuverit*, *a Stoicis etiam*, *atque nonnullis Eccleſiae Patribus humanum animum*, *Angelos*, *Deum ipſum* corporis *nomine fuiſſe deſignatos*; *ſed*

giae incorporeae character, neque ab extenſione produceretur, neque cum ipſa copulabitur; adeoque admiſſa in Deo, & in homine perceptione, dubitari certe non poterit, quin eorum ſubſtantia ſpiritalis omnino ſit. Reiicienda igitur eſt nefaria Benedicti Spinoſae [1] hypo-

ſed alio tamen ſenſu, quam ut ipſorum opinio cum nefaria Hobbeſii, Tolandi, aliorumque ſententia temere poſſit confundi. Stoici enim, ac Tertullianus adverſ. Prax. *etiam quidquid* ens *foret, & a* nihilo *diſtingueretur*, corpus *dicebant. At corpus iſtud a materia ſeu corporea ſubſtantia perſpicue diſtinguebant, cum affectiones & attributa, quae materiae conveniunt, ab eiuſmodi corpore ſecernerent; ipſorumque proinde error, aut controverſia in ſolo* corporis *nomine minus accurate feliciterque uſurpato conſiſteret.*

(1) *Hic Hebraeus Amſtelodamenſis extitit; deinde Religioni Catholicae nomen dedit, quam poſtea eiuravit, eiuſque infenſiſſimus hoſtis evaſit. Inter praecipua illius opera accenſetur* Tractatus Theologico-politicus, *ubi divinam Revelationem abiecit, unicam admiſit ſubſtantiam, Deumque cum Univerſo confundere auſus eſt. Poſt eius obitum prodiere* Ethica, Politica, *aliaeque tractationes: in Ethica tamen expoſuit atheum ſyſtema, quod docendum ſibi propoſuerat. Complures profecto ſunt, qui perſtringendo Spinoſam operam navarunt: horum praecipui extitiſſe putantur Blyenburgius* Verit. Relig. Chriſt., *& Bredenbourgius* Enerv. Tract. Theol. politic.*; qui plura de atheo hoc velit, Ierichium adeat* Hiſt. Spinoſiſmi, *& Iaquelotium* in Vit. Spinoſae. *Ut autem comperta via ſit, qua Spinoſa ad impietatem contendit, nonnullae afferendae ſunt Carteſii praeceptiones. Scilicet qui graviſſimum de rebus iſtis iudicium ferunt, a Carteſio, aiunt, anſam accepiſſe Spinoſam, quo ſyſtema ſuum extrueret, & confirmaret. Dogmata,* qui-

pothesis, impiumque ſyſtema, utpote quod perſpicuis materialis, & ſpiritalis entis, ſeu ſubſtantiae notionibus hactenus expoſitis omnino adverſatur. *Unicam* tantum ſubſtantiam, eamque divinam, infinitam, indiviſibilem admiſit Spinoſa, ut ſubſtantiae nomen Deo ſoli convenire aſſeveraverit; deinde vero *extenſionem*, & *cogitationem* veluti duo eſſentialia ſubſtantiae divinae attributa exiſtimavit (1): ceteras res omnes, quae exiſtunt, nihil aliud eſſe contendebat, quam *modificationes* quaſdam unicae illius divinae ſubſtantiae *extenſae*, & *cogitantis* (2). Sed ut perditi huius ſyſtematis falſitas deprehendatur, bre-

---

quibus innocue praeluxit Carteſius tria ſunt. Primum eſt, quidquid in idea clara continetur, illud eſſe veriſſimum. *Secundum* unicam tantum eſſe poſſe ſubſtantiam. *Tertium eſt*, res omnes viribus ad efficiendum aptis carere, *ut ſit motus omnis tantum a Deo. A prima Carteſii lege evicit Spinoſa, reiiciendam eſſe omnem creationem; quia idea clara, & evidens docet, ex nihilo nihil omnino fieri. Secunda lex hominem atheum docuit confundere Deum ipſum cum materia; eiecta enim creatione, admiſſaque aeterna materia, conſequebatur, [ne duplex ſubſtantia extaret,] Deum eſſe materiam. A tertia denique lege derivavit Hebraeus Materialiſta, corpora modos tantum eſſe divinae extenſionis; animas vero modos divinae cogitationis. Amotis enim viribus effectricibus, ipſiſque in Deo tantum admiſſis, proclive erat, partes Divinae ſubſtantiae a partibus aliis non fieri, ſed omnes a a ſemetipſis eſſe, ex neceſſaria, congenitaque Dei facultate. Ea origo extitit perditiſſimi Spinoſiſmi.*

(1) *Ethic. Par.* 2. *prop.* 1. & 2.

(2) *Ibidem Par.* 1. *coroll. prop.* 5.

breviter obſervaſſe iuverit, 1. quod ſubſtantiae nomine ens illud deſignatur, ut ſuperius quoque indicavimus, quod perfecte concipitur, intrinſece in ſe ſubſiſtit, & exiſtit independenter ab alio ; unde effectus omnes, qui a Deo, ſive a creatis etiam rebus ortum ducunt, & ab iis exiſtentiam recipiunt, ſubſtantiae dici debent, ac revera ſunt, quod a nulla re pendeant, intrinſece ab aliis diſtinguantur, & huiuſmodi operandi vim receperint, ut licet nullum aliud ens exiſteret, illam tamen exerere, & conſervare poſſent. Primo itaque unicae ſubſtantiae fundamentum a Spinoſa excogitatum corruit. 2. Cum vero extenſione, ſimulque cogitatione ſubſtantiam illam divinam praeditam eſſe autumat Spinoſa, repugnantia ſimul componit, quia extenſioni cogitatio prorſus adverſatur, ut alibi contra Lockium oſtendemus. Accedit etiam, quod extenſio vel non eſt, vel eſt a divina ſubſtantia diſtinguenda : ſi primum, ergo ſubſtantia Dei non eſt ſimplex, neque proinde indiviſibilis ; id tamen Spinoſa aſſeruit in ſua propoſitione XIII. : ſi alterum, ergo ſubſtantia Dei eſt inextenſa in ſe ipſa, & extenſionis incapax. 3. Demum cum in rebus creatis, ac praecipue in homine plurimae ſint phyſicae, ac morales imperfectiones, quae Dei omnipotentiae, & perfectioni infinitae adverſantur ; ſi quidquid homini ineſt, & ab ipſo efficitur, *modificatio* quaedam eſſet, ut aiebat Spinoſa, divinae ſubſtantiae ; imperfectiones illae in divina ſubſtantia reperiri, & ab ipſa produci deberent ; quod ſine ſummo ſcelere ne cogitari quidem poteſt,

teſt,

poteſt [1]. Exinde vero facile refelluntur Thomas Hobbeſius, Iacobus Tolandus, Antonius Collinſius, ceterique

(1) *Nihil hic de antilogiis verba facimus, quibus non ſine maximo divinarum perfectionum diſpendio obnoxia foret praeſtantiſſima Dei Natura : nihil de compoſitione, deque viciſſitudinibus, quibus Deus ipſe ſubeſſet, ſi veritati conſona eſſent Spinoſae molimina. Haec autem adeo abſona, dictuque horribilia ſunt, ut Spinoſae hypotheſis inter commenta impudentiora merito habeatur, & auctor ipſe inter ſceleſtiores homines, dementioreſque adnumeretur. Ceterum iudicandum non eſt, Spinoſae blaſphemias, quas doctiſſimus P. Moniglia probat eſſe Materialiſmum in ſua Diſſertatione* cont. Materiali par. 4. ſect. 5. §. 308., *novas extitiſſe. Complures enim eruditiſſimi auctores teſtantur, ante Spinoſam viris multis non modo illas placuiſſe, verum etiam gentibus nonnullis. Inter eos, qui Spinoſae praeivere, recenſet Albertus* in 1. Phyſ. tract. 3. cap. 13. *Alexandrum Epicureum, qui Deum affirmavit materiam eſſe; formas vero eſſe imaginationis accidentia. Adiungi Alexandro ſolet David de Dinant, & Almericus eius praeceptor, quos D. Thomas* lib. 1. cont. gent. cap. 17. *confutavit, exiſtimantes, Gerſonis teſtimonio* Tract. de concord. Metaphyſ. cum Logic. part. 4., *Deum eſſe rerum creatarum eſſentiam. Inter gentes vero, quae Spinoſae praeluxere, Petrus a Valle* Itiner. vol. 3. pag. 394. *ſectam memorat Mahometanorum, qui omnia, opinabantur, quae extant in mundo, a Deo non differre. His Bernerius* Contin. monum. de Imper. Mogoliſt. p. 202. *addit Pendetios, gentem apud Indos poſitam, qui putabant, omnia eſſe Dei modos. Praetereundi demum minime ſunt Spinoſae hoſtes. In eius pantheiſmum calamum ſtrinxere viri complures, quorum ſyllabus eſt apud Baylium* Dict. art. Spinoſa litt. M. *Ceteris tamen enixius, atque feli-*

que huius furfuris homines, Materialiſtae ideo appellati, quod materialem dumtaxat ſubſtantiam admiſerint. Hobbeſius enim; aliique Deum eſſe corporeum; omneſque ſubſtantias ita corporeas eſſe adfirmant; ut corporeas ſolum affectiones illis adſcribant; adeoque a corporeis ſubſtantiis nullo pacto diſtingui poſſint. Verum ut a perditis iſtis opinionibus digrediamur, & ea complectamur, quae de corporeis, & incorporeis entibus tradenda remanent; obſervandum eſt, quod ſicuti duplex ſubſtantiarum genus admitti debet, ita quoque duplicem in modis, & affectionibus, quibus eadem ſubſtantiarum genera exornantur, varietatem, ac diſtinctionem agnoſcamus oportet.

Quapropter *corporeum* accidens, & affectio ea eſt, quae corporeae ſubſtantiae inhaeret, ipſam modificat, atque perficit; veluti gravitas, motus, figura &c. *Incorporeum* accidens dicitur illud, quod incorporeae ſubſtantiae convenit, ipſamque perficit; ut ſunt Iuſtitia, Fides, ceteraeque virtutes, quae tanquam mentis humanae affectiones vel ab ea acquiruntur, vel ipſi divinitus infunduntur. Hinc incorporearum affectionum oritur diſtinctio in *actuales*, & *habituales*. Actua-

---

felicius ſuam impendiſſe operam creditur Bredenbourgius Enerv. tract. Theol. polit. an. 1675., *quum animum primo adplicuit ad Atheum illum perſtringendum. Deinde tamen mutata ſententia edixit, Spinoſae rationem, qua Deum naturam appellavit, eſſe demonſtrationem; peſſimeque propterea exceptus fuit a Cupero, Orabio, & Auberto de Verſè. Baylius quidem Bredenbourgium excuſare contendit, at parum ſcite, & apposite.*

Actualis virtus, & affectio eſt illa, quae in ipſa actione conſiſtit ; ut fidei, vel caritatis actu elicito, caritas, & fides illa dicitur actualis. Habitualis ea vocatur, quae praeviis, ac plerumque iteratis actibus acquiſita in animo veluti impreſſa remanet, ipſumque reddit aptiorem, alacrioremque ad actus ſimiles exerendos [1].

DE ENTE FINITO, ET INFINITO.

C A P. V.

ENs finitum, aut limitatum vulgo definiri ſolet, *id, quo maius concipi poteſt*. Cum autem variis mutationibus obnoxium eſſe poſſit multiplicitate accidentium ſive modorum, qui ipſi inhaerere, ſive ipſum deſerere poſſunt, atque inter eos alii aliis adverſentur ; perſpicue apparet, modos illos omnes ſimul eſſe, proindeque ens finitum ſtatus omnes poſſibiles ſimul habere non poſſe, verum *ſucceſſive* tantum ; ut lapis rotundus & quadratus uno eodemque tempore eſſe nequit. Quapropter ens finitum recte definitur illud, *in quo omnia ſimul*

(1) *Ita* intentio, *ideſt voluntatis electio*, *determinatio*; *&* *imperium*, *quae incorporeae affectionis inſtar in voluntate concipitur*, *in* actualem, *&* habitualem *diſpertitur*. *Cum enim voluntas aliquid actu decernit*; *eligit*, *&* *opus ipſum aggreditur*, actualis intentio *vocatur*: *cum autem actum illum*, *ſeu determinationem iam elicuerit*, *ipſamque non revocaverit actu contrario*, virtualis, *aut* habirualis *dicitur*, *quamvis virtualis ab habituali diſtingui conſueverit*

ſimul eſſe nequeunt, quae ipſi ineſſe poſſunt: viciſſim vero ens infinitum illud dicitur, *in quo ſunt omnia, quae ipſi actu ineſſe queunt, ac nihil in eo mutationi obnoxium reperitur* (1). Hinc infertur, enti infinito nullos ineſſe modos, cum ipſi mutabiles ſint, ſed quidquid in eo reperitur, ad attributa eſſentialia pertinere.

Ha-

(1) *Infinitum in* potentiale, *&* abſolutum *ſolet diſpeſci. Potentiale eſt id, quod modo finitas res continet, poteſt tamen aliud & aliud ſine ullo fine habere, ſcilicet infinitum fieri. Abſolutum eſt id, in quo revera infinitae res exiſtunt. Inde autem colligitur, ideam, quam* infiniti *habemus, nullam aliam eſſe, niſi* numerorum *ideam. Sive enim infinitum* potentiale, *ſive* abſolutum *concipere, & explicare velimus, ſemper intelligimus res numero infinitas, quae vel nunc temporis ſunt, vel eſſe poſſunt ſine ullo fine. Infinitum* potentiale *concipimus numerorum inſtar, quos magis magiſque augemus, quin unquam augendi finem faciamus. Infiniti vero* abſoluti *ideam nullam habemus, quia nihil adeo magnum, perfectumque cogitare poſſumus, cui non alias & alias res, graduſve mente addere poſſimus. Hinc alia eſt* infinitatis, *alia* infiniti *idea: illa clara, haec obſcuriſſima eſt, vel potius nulla. Infinitatis enim idea eſt idea facultatis, quam habet res aliqua ex. gr.* numerus quilibet, *ut ei aliae, & aliae unitates mente addi poſſint, quin unquam ad ultimam unitatem perveniamus. Id perſpicue a nobis concipitur, & congruit cum idea infiniti* potentialis. *Contra vero idea* numeri infiniti *eſt idea numeri, cui nihil adiici poſſit, ideſt idea rei impoſſibilis, nullius rei, nulla idea; quidquid enim numerorum concipi poteſt, finitum eſt, novaſque poteſt unitates recipere. Praeterea* infinitatis *idea eſt abſtracta negativa, quae vere reperitur*

in

Habere profecto poteſt intellectus noſter *infinitatis* ideam perſpicuam, nullam vero *infiniti* nitidam, atque accuratam. Perſpicue ſiquidem comprehendimus rem ali-

in aliqua re poſitiva. Idea autem infiniti *exhibet rem poſitivam, ſed talem, quae eſſe non poteſt, adeoque eſt negativa, obſcuriſſima, & nulla. Hinc infinitatis divinae, ut in ſe eſt, nullam habemus ideam. Deus enim eſt infinitum abſolutum, quod reapſe infinitas continet perfectiones. Nos autem eiuſmodi infinitum ne cogitare quidem poſſumus. Deum itaque hoc modo concipimus infinitum, dum illum concipimus eſſe ens adeo perfectum, ut ſemper plures pluresque perfectiones in eo cogitare mente poſſimus. Quamlibet perfectionem divinam eadem ratione intelligimus* infinitam *: ex. cauſſ. concipimus* Omnipotentiam *Dei alia & alia entia magis magiſque perfecta ſine ullo fine condere poſſe. Eodem quippe modò cetera attributa infinita eſſe intelligimus, & explanamus. At hoc eſt infinitum* potentiale, *non* abſolutum *; nec niſi obſcuriſſime, & longe diverſa ratione, quam in ſe eſt, divinam repraeſentat* infinitatem, *nempe incomplete, inadaequate. Quod quidem ex finita noſtrae intelligentiae indole proficiſci perſpicuum eſt. Quapropter cum dicimus*, Deus eſt infinitum abſolutum, *idem eſt, ac ſi dicamus*, Deus eſt id, quod mente concipere non poſſumus, ut in ſe eſt. *Poſſumus quidem alia de cauſſa nobis certo perſuadere, exiſtere infinitum* abſolutum, *ut revera credimus exiſtere Deum infinitum, itemque res plures phyſicas exiſtere, quarum natura nos penitus latet: at inde non ſequitur, nos habere ideam infiniti abſoluti, ſed infiniti dumtaxat potentialis, quod auctoritate divina edocti credimus eſſe infinitum alia ratione nobis haud cognita, quod vocant* abſolutum, *cuius proinde nonniſi obſcuriſſimam ideam ex doctrina Fidei concipere poſſumus.*

aliquam terminis carere, adeoque *infinitam* eſſe oportere: at ubi rem ipſam infinitam concipere conamur, ipſius ideam anguſtis, finitiſque perceptionis noſtrae finibus circumſcribimus, proindeque ipſam veluti finitam, aut ſaltem indefinitam concipere cogimur: quemadmodum fere *chiliogonum* poſſibilem eſſe, eiuſque attributa perſpicue percipimus, externos ſcilicet angulos a productis mille lateribus formatos quatuor rectis aequales eſſe; *chiliogoni* tamen ideam nonniſi mire confuſam effingere, animoque complecti poſſumus.

Solet a Phyſicis, ac Metaphyſicis diſputari, utrum ens aliquod infinitum exiſtat, vel poſſibile ſit, ſive potius intrinſece repugnet, contradictionem involvat, adeoque ne a Deo quidem ipſo produci poſſit? Ad quod breviter reſpondetur: cum una ex parte perſpicue noverimus, divinae potentiae vires infinitas eſſe oportere; altera autem ex parte eiuſmodi infiniti repugnantia nulla ratione oſtendi poſſe videatur; veriſimilius eſt, infinitum certe a Deo produci poſſe, ne Dei potentia, rerumque poſſibilitas ambiguis ſolum mentis noſtrae viribus, atque imaginibus circumſcribatur.

DE ENTIUM RELATIONIBUS.

CAP. VI.

Cum nullum propemodum ens percipi poſſit, quin ipſum aut natura ſua, aut ab intellectu noſtro ad aliud ens referatur; diſſerendum modo eſt de ente rela-

relativo. Relatio itaque, quae attributum eſt tranſcendentale, nimirum entibus ſimul omnibus commune, vulgo deſcribi ſolet; *ordo*, ſeu *reſpectus entis unius ad aliud*, ſcilicet rei ad rem, vel modum; modi ad modum, ſive rem. Hinc duplex erit relatio, *eſſentialis* nempe; & *accidentalis*. *Eſſentialis*, *intrinſeca*, ſeu *neceſſaria* ea dicitur, ſine qua nec exiſtere, nec concipi poteſt ſubſtantia; ſive modus; ut relatio creatae ſubſtantiae ad Creatorem eſt eſſentialis, quia creata ſubſtantia eſt natura ſua ens dependens, ens per participationem a ſummo Ente profectum. Ita quoque filius ad patrem, effectus omnis ad cauſſam; ſignum naturale ad rem ſignificatam, veluti reſpiratio ad vitam, intrinſeco, vel neceſſario quodam ordine referuntur. Relatio pariter modi ad ſubiectum eſt ipſi modo eſſentialis; modus enim ſive incorporeus, ut perceptio, ſive corporeus ſit, ut ſoliditas, aut extenſio, concipi nequit ſine aliquo ordine ad ſubiectum (1). *Accidentalis*, *extrinſeca*, ſeu *contingens* ea eſt, quae ab intellectu ſolo, hominumque pendet arbitrio, ſine qua ſubſtantia, vel modus poteſt ſubſiſtere; ut relatio imperatoris ad milites, principis ad ſubditos accidentalis, vel contingens cenſenda eſt.

In eiuſmodi relationibus, quaecumque illae fuerint, tria diſtinguuntur in Scholis, nempe 1. *Subiectum*, quod

(1) *Sciendum itidem eſt, nonnullos eſſe modos eſſentialem relationem tum ad ſubiectum, tum ad aliquod obiectum exterius habentes; ſicuti* ſcientia *non ſolum ad ſubiectum, in quo eſt, ſed etiam ad obiectum, quod ſciri poteſt, vel ad rem, ut aiunt,* ſcibilem *eſt referenda.*

quod refertur ad aliud, ut Socrates ad Platonem, & viciſſim, propter Philoſophiam utrique communem. 2. *Terminus, ad quem ſit relatio*, ut filius refertur ad patrem, & viciſſim. 3. *Fundamentum*, ſive cauſſa, propter quam ſubiectum refertur ad terminum, ut ſi nix ad goſsypium referatur, nix erit *ſubiectum*, goſsypium *terminus*, albedo vero relationis fundamentum, ſeu cauſſa.

Fundamenta relationum ex categoriis in Logica explanatis petuntur, ſcilicet ex ſubſtantia, & ex omnibus eius affectionibus tum incorporeis, tum etiam corporeis. 1. Ex *ſubſtantia*, veluti cauſſa, & origine prodeunt relationes, una quae dicitur *ſimilitudinis*, aut *convenientiae*, altera *diſcrepantiae*; ut duo homines *ſimilitudinem* habent in *ſubſtantia*, ſed homo, & leo *diſcrepantiam*. 2. Ex *quantitate* relationes oriuntur *aequalitatis*, & *inaequalitatis*, ut una res alteri aequalis, vel altera minor, aut maior dicatur (1). 3. Ex *qualitate* (2), ſicuti ex figura, ſitu, motu, quiete naſcitur *ſimilitudinis*, vel *diſſimilitudinis* accidentalis relatio, ut Aethiops ad Aethiopem propter nigredinem, qualitatem corpoream, utri-

(1) *Huc pertinet etiam relationum varietas, quae ex tempore, ſpatio, motu, potentia, ceteriſque rebus exoritur, quae licet incorporeae ſint, extenſione quadam, variiſque partibus praeditae concipiuntur; ſicuti quoque totius ad partem, continentis ad rem contentam, loci ad rem locatam, & viciſſim; quia totum eſt ſua parte maius, continens contento, & ita porro &c.*

(2) *Qualitatis nomen, ut in Logica obſervavimus, omnes modos, ſeu accidentia complectitur.*

utrique communem refertur. 4. Ex *actione*, & *paſſione* deducitur relatio *cauſſae ad effectum*, & viciſſim; poſſeſſoris ad rem poſſeſſam, aut emtam. 5. Ex *loco viciniae*, & *diſtantiae* relationes reſultant, continentis ad rem contentam, partis ad totum. 6. Ex *tempore* demum exoritur ordo *aetatis*, puta iuventutis, ſenectutis &c., ut unum alio antiquius dicatur, vel recentius. Ex ipſa quoque duorum entium comparatione deduci ſolet ipſorum *oppoſitio*, qua duo ipſa entia, ſeu modi ſibi adverſantur.

Eiuſmodi vero oppoſitio, qua duo entia inter ſe comparata diſcrepare, aut repugnare dicuntur, quadruplex eſt: *Relativa*, *Contraria*, *Privativa*, *Contradictoria*.

1. *Relativa*, quae omnium minima, in entibus invicem relatis reperitur; ut inter patrem, & filium, de qua ſuperius diximus. 2. *Contraria* ea eſt, quae in qualitatibus ſub eodem genere contentis ineſt, ſed una tamen aliam excludit, unde qualitas una cum altera in eodem ſubiecto eſſe nequit; veluti frigus & calor, durities ac fluiditas. 3. *Privativa*, quae inter qualitatem aliquam poſitivam ac realem, eiuſque privationem reperitur; ut inter vitam & mortem, inter gratiam & peccatum [1]. 4. Demum *Contradictoria* oppoſitio omnium qui-

(1) *Hic notandum venit, privationem illam, ſeu carentiam qualitatis, quae in ſubiecto concipitur alioquin apto ad illam habendam*, privationem *dici; ut eſt caecitas in homine, quoniam ipſe aptus natus eſt ad videndum; ſin autem concipiatur privatio in ſubiecto perfectionis & qualitatis*

quidem maxima, quae ineſt inter *ens*, *& non ens* (1). Quare cum in aliis oppoſitionum generibus entia illa *oppoſita* in aliquo entis genere plerumque conveniant; *contradictoria* in ullo entis realis genere convenire nequeunt, ſed alterutro ex illis poſito, alterum neceſſario auferri debeat.

Ex relatione, qua entia quaedam invicem comparantur, modus reſultat, quo res una aliam praecedit, vel ipſa poſterior eſt. Praecedit res una alteram 1. *poſitione*, nimirum cum ante ipſam fortuito ſolum poſita ſit; ut lapis unus ante alium. 2. *Honore*, cum eius ordinis cauſſa ex ipſa rei dignitate exoritur; ut princeps

---

tis incapaci, *dicitur* negatio; *ut caecitas in lapidibus*. *Item abſentia eius cognitionis*, *qua quis informatus eſſe debet*, ignorantia privationis *dicitur*; *ſi rem illam ſciri non oporteat*, ignorantia merae negationis *vocatur*. *Hinc autem ſequitur*, *generatim verum non eſſe illud veluti axioma in Scholis uſurpatum*, a privatione ad habitum non dari regreſſum. *Nam licet a caecitate ad viſum non detur regreſſus in eo*, *cui eruti ſunt oculi*; *dari tamen poteſt*, *ſi caecitas ex aliquo ſanabili morbo profecta fuerit*.

(1) Ens, *&* nihil, *proprie ac ſtricte loquendo*, *non ſunt* contradictoria, *quia* contradictio *eſt* affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem ſecundum eadem omnia. *Quare ens*. *& non ens*, *vel modus entis*, *& non modus entis ſunt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem ſecundum eadem omnia*. Nihil *autem non eſt ſolius entis negatio*, *ſed eſt etiam* negatio modi entis. *Unde cum* nihil *plus neget*, *quam* ens *affirmet*, *proprie loquendo*, ens, *&* nihil *non ſunt contradictoria*.

ceps prior eſt ſubdito. 3. *Natura*, ubi ipſarum utraque uno quidem, eodemque tempore incepit, & ſimul exiſtit, ſed una tamen ab alia pendet, atque producitur; ita Sol radio prior eſt *natura*; nam licet radius una cum Sole inceperit, & Sol una cum radio extiterit, Sol tamen ipſe radium producit, eumque proinde natura praecedere exiſtimatur. 4. Tandem *duratione*, vel *tempore*, cum una ante aliam producta fuit, adeoque tempus aliquod inter utriuſque productionem interceſſit; veluti inter patrem, & filium; unde pater prior *tempore* vocatur. Exinde fit, ut cauſſa effectrix ſuum praecedere debeat effectum non ſolum tempore, ſed etiam natura, honore, atque ordine; cum nihil in effectu ipſo reperiatur, quod non ſit a ſua cauſſa profectum. Praeterea ſicuti res una aliam praecedit; ita res una alteram ſequi, vel ipſa poſterior eſſe poteſt (1), ut ab exemplis paullo ſuperius traditis apparet.

Primae illi, quam recenſuimus, relationum claſſi accedit & duplex aliud relationum genus, ut alia ſit *increata*, alia *creata*. De creata relatione hactenus diſſeruimus, & nonnihil aliud in ſequenti capite adiungendum ſupereſt, poſtquam de relatione increata aliquid attigerimus. Increata, ſeu divina, quae & realis a Theologis nuncupatur, quadruplex eſt (2), nempe Patris

(1) *Contingere tamen aliquando poteſt, ut res una cum alia exiſtere, ſimulque cum illa concipi debeat; adeoque res illae* ſimultaneae *dicantur*.

(2) *Tot enim ſunt in Deo relationes, quot ſunt ordines ſive reſpectus*.

tris ad Filium ; Filii ad Patrem ; Patris ſimul , & Filii ad Spiritum Sanctum ; & Sancti Spiritus ad Patrem , & Filium . Ergo quatuor erunt in Deo relationes , quae a Theologis ita ſolent nuncupari , *Paternitas* , *Filiatio* , *Spiratio activa* , & *Spiratio paſſiva* ; quarum tres dumtaxat , ut Fides Orthodoxa nos docet adverſus haereticos Sabellianos , inter ſe realiter diſtinguuntur , Paternitas nimirum , Filiatio , & Spiratio paſſiva : Spiratio vero activa realiter non diſtinguitur a Paternitate , & Filiatione ; cum Spiratio haec nihil aliud ſit , quam actio producens Spiritum Sanctum , proindeque quartam Perſonam in Deo non conſtituit . Unde licet quatuor ſint relationes in Divinis , tres tamen Perſonae debent admitti .

DE CAUSSIS.

CAP. VII.

INter ceteras creatas relationes adnumeranda pariter eſt illa , quae inter *cauſſam* , & *effectum* concipitur , utpote quae inter relationes principem ferme locum obtinet . Itaque cauſſae nomine intelligitur *principium illud* , *quod influit eſſe in aliud* , nimirum in aliam naturam , ſaltem numero a ſe diſtinctam , adeoque cauſſa ad alterius productionem , & exiſtentiam confert ; ut pater in humanis dicitur cauſſa filii . Hinc autem cauſſa omnis eſt etiam principium (1) , non viciſſim ; principium

(1) *Quod rei alteri originem facit* , *interdum principium eſt* , inter-

pium enim etiamſi cum cauſſa aliquando ſoleat confundi, latius tamen, nempe generis loco accipitur [1]: nam definitur principium, *id, unde aliquid eſt*; ſicuti ſol eſt principium radii, qui ex ſolis ſubſtantia emanat.

Effectus vero eſt *illud ens, quod aliquo modo a cauſſa pendet, & ab ipſa producitur*: itaque effectus omnis a cauſſa diſtinguitur, eaque poſterior eſt; unde natura filii a patris natura ſaltem numero diſtincta eſt, cum alia patris, alia filii eſſentia ſit, & humanitas, nimirum aliud corpus, & alia mens. Veteres Eccleſiae Latinae Patres, ubi de divinis loquebantur, Patrem vocarunt non cauſſam, ſed *principium* Filii, quod Filius Patre poſterior eſſe nequeat, neque in natura ab ipſo diſtinguatur, cum eadem ſit Patris, ac Filii eſſentia, & divinitas; ideoque Filius coaeternus, & conſubſtantialis ſit Patri. Et licet Filius dici poſſit *alius* a Patre, ſcilicet alia perſona, non tamen dici poteſt *aliud*, ideſt

 alia

interdum eſt cauſſa. Unde cauſſae ingenium nequit aperiri, niſi explicetur, quae ſit principii indoles, & natura. Omne principium rationem in ſe continet, qua res aliqua fit, & inſuper in ipſa rei productae reperitur eſſentia. Cauſſa vero licet rationem in ſe complectatur, qua res aliqua fit, ipſa tamen in re producta non extat.

(1) *Praetereundum minime eſt, illud principii a cauſſa diſcrimen inductum potiſſimum a Theologis fuiſſe, ut Divinarum exponerent originem Perſonarum. Ceterum in rebus, quae naturaliter proveniunt, plerumque non diſcrepat cauſſa a principio. Praeter enim finalem, & efficientem cauſſam, quae extra rem productam omnino reperiuntur, ceterae omnes ſuo inſunt effectui, ut paullo inferius patebit.*

alia natura. Eadem ratione Pater, & Filius ſunt principium Spiritus Sancti, non tamen cauſſa, quia Spiritus Sanctus idem etiam eſt Deus, eamdemque habet naturam ac Pater, & Filius. Interdum tamen Graeci Patres hoc cauſſae nomen ampliori quodam, & promiſcuo ſenſu uſurparunt; nam in Oecumenica Florentina Synodo Hypoſtaſin Patris eſſe principium, & cauſſam Filii pronunciaverunt, quia cauſſae nomine uſi ſunt latiori quodam ſenſu; ſed Filium Patri conſubſtantialem contra Arianos defenderunt, ipſumque a Patre minime in natura diſtingui docuere.

Quadruplicis generis cauſſam philoſophi omnes adſignant, *Efficientem*, *Materialem*, *Formalem*, *Finalem*. *Efficiens* cauſſa eſt illud ens, quod virtute ſua effectum aliquem producit, ipſumque a *potentia*, ut aiunt, transfert ad *actum*. Cum vero nulla vi creata, proindeque finita illud produci ex nihilo poſſit, efficiens cauſſa ſuum non producet effectum, niſi ſubiectum aliquod, ſeu materia reperiatur, ex qua effectus ille formetur; adeoque praeter efficientem, *materialis* quoque cauſſa requiritur. Inſuper cum materia ſit natura ſua omnino indifferens, ut ex ipſa hic potius effectus, quam alter producatur; materiae, vel cauſſae materiali adiungenda eſt cauſſa *finalis*, cum res omnes non temere, & inconſulto, ut Epicurus [1] exiſtimabat, ſed finis alicuius gratia pro-

(1) *Cauſſarum omnium cauſſam ferunt ab Epicuro poſitam fuiſſe in* caſu, *ſcilicet in fortuita atomorum congreſſione; quam*

productae fuerint ; unde effectus omnis ad finem ali-

 quem

quam quidem amplexus quoque eſt Lucretius , nitidiſque verſibus deſcripſit lib. 5. de rerum nat. verſic. 417. *Cudworthus tamen* Syſt. intellect. cap. 2. §. 22., *aliique putant , illam eſſe tribuendam Leucippo , Democrito , & Protagorae ; textumque adducit Platonis , qui hanc de atomorum incurſu ſententiam ad tempora revocat Epicuro antiquiora in* lib. de Legib. 10. pag. *666. Quomodocumque ſe ſe res habeat circa abſurdiſſimae huius opinionis auctorem , exploratum eſt , veteres , qui ſapientia ceteris praeſtabant , omnino improbaſſe eiuſmodi rerum concretiones a caſu factas . Ariſtoteles prae aliis ut ſalſa , acutaque alloquutione Democritum perſtringeret , artificem induxit in* lib. 1. de part. animal. cap. 1., *reſpondentem homini de opere quopiam illum interroganti . Reſponſurum haud eſſe fabrum aſſeverat , incidente ſcalpro cava hinc prodiiſſe , illinc plena ; ſed dicturum fuiſſe ait , quod talem impegerit ictum , ideoque hoc , vel illud eveniſſe . Praeterea caecus penitus eſt caſus , omnique deſtitutus intelligentia . Rerum autem omnium coagmentatio ita admirabilis eſt , ut mentem certe infinitam ad ſui effectionem expoſtulet . Qui pretium in magnitudine reponunt , immenſa memorant planetarum , ſtellarumque corpora , quae luce , motuque ſuo in admirationem abripiunt . Qui tamen rebus in minimis aequalem deliteſcere artem , ac in maximis arbitrantur , formicam nominant , culicem , & animalcula alia minutiſſima . Obſervant ſcilicet , ipſorum motus , ſenſationes , nutritiones , inſpirationeſque eo artificio fieri , atque dexteritate , ut nonniſi a divino intellectu progredi poſſit partium adeo exiguarum contextus , atque complexio . Nonnulli vero fa*tum *cum* caſu *confundunt . Hallucinationis cauſſa in eo poſita eſt , quod effectus libertatis expertes , nobiſque impervios utrumque pariat . Differunt tamen illa veterum*

etiam

quem dirigitur vel a natura conſtitutum, vel ab effi-
cien-

---

etiam philoſophorum iudicio; caecus enim prorſus eſt caſus, fatum vero lucem ſubobſcuram admittit. Fatum nimirum providentiam omnem eiicit, ſed certam affert cauſſarum determinationem: caſus autem tum providentiam negat, tum certarum ſeriem cauſſarum. Caſus eſt unicus, quia rem vacuam in plures dividere ignoravit Antiquitas: fatum vero triplex eſt, Democriticum, Stoicum, Spinoſiſticum; *quae a ſuis auctoribus nomen ſortiuntur. Democriticum ſitum eſſe dicitur in infinita cauſſarum determinatarum ſerie: harum vero, quae a Deo non provenere, prima indicari nequit, nec poſtrema. Stoicum in ſerie cauſſarum ſe ſe invicem determinantium fuit collocatum, quarum primam aiunt Stoici eſſe Deum, a quo univerſa omnino pendent. Iuſtus Lipſius* Phyſiolog. Stoic. lib. 1. differt. 11. *putavit, fatum Stoicum providentiam eſſe Chriſtianorum: verum Thomaſius* de exuſt. mundi Stoic. differt. 13. *illud accenſet Atheorum ſententiis, aperteque deteſtatur. Stoici libertatem humanam fato ſuo ſuſtuliſſe videntur; divinam vero admiſere. Spinoſiſticum in ſerie cauſſarum poſitum fuit a Spinoſa; quae tamen ex Deo fluunt, eiuſque ſunt* modificationes. *Huius falſitatem non oſtendimus ob impiam, horrendamque Spinoſae audaciam. Neminem enim latet, collapſurum brevi eſſe fatum, quod mentem cum corpore confundit, cum extenſione intelligentiam, ut ſuperius demonſtravimus, cum execrandum illius ſyſtema confutavimus. Quid tandem de* fortuna *dicam? Id profecto, quod de caſu, & de fato dictum fuit. Voces diverſae quidem ſunt, ſed res prorſus eaedem, quae a ſemetipſis haud extant, ſed a divina tantum reguntur voluntate. Videant propterea homines, quam turpiter errent in tanta rerum incertarum confidentia, & quam ridiculae ſint praeceptiones, quibus ſibi ſiſte-*

ciente cauſſa libertate, & cognitione praedita [1] electum. Quintum quoque cauſſae genus admittunt Platonici [2], quam *exemplarem* vocant, quia veluti typus, & exemplar ſit, ad cuius imaginem, & ſimilitudinem effectus producitur. Circa huiuſcemodi cauſſarum genera obſervandum, quod materialis, ſimulque formalis cauſſa, a philoſophis *materia*, & *forma* nuncupatae, intrinſecae, & eſſentiales effectus partes habentur, utpote quae effectum conſtituunt, & in eodem remanent; ceterae

ſiſtere ſatagunt fortunam, rati, a Deo ſolo bona univerſa expectanda, non ab inani fortuna. Quis itaque Romanum populum non rideat, qui aras fortunae dicaverat?

(1) *Res tota ſequenti declarari poteſt exemplo. Architectus eſt cauſſa* efficiens *domus; ipſe enim domum aedificat. Lapides & ligna, ex quibus domus ipſa componitur, ſunt eiuſdem* materia. *Singularum partium, & domus totius diſpoſitio, quae cum artificis idea congruit, domus* forma *habetur.* Finis *tandem, ſeu cauſſa* finalis, *ſine qua ad agendum non fuiſſet determinatus artifex ille, eſt merces, quae ipſum allicit ad domum aedificandam, quaeque finis dicitur* operantis: *commoda vero habitatio eſt finis* operis, *ſcilicet ipſius domus.*

(2) *Celebre quidem eſt, Platonicos quintum aliud cauſſae genus agnoviſſe, quam* idealem, *vel exemplarem dixerunt, quae veluti typus & exemplar eſſet, ad cuius imaginem effectus ille produceretur: ut ſi Architectus aliam domum, aut quemdam domus typum viderit, ad cuius ſimilitudinem ſuam extruxerit; prior illa domus, vel typus eſt cauſſa exemplaris poſterioris. Verum cum huiuſmodi cauſſae genus in iis ſolum cauſſis admitti debeat, quae cognitione praeditae ſunt, ipſaque praevia operantur; haec facile ad efficientem cauſſam referri poterit.*

terae vero nempe efficiens, finalis, & exemplaris dicuntur extrinſecae, quia extra effectum ipſum repeDiuntur [1].

Variae ſunt, atque multiplices cauſſae efficientis claſſes, quarum praecipuas, & magis utiles, earumque diſcrimina modo proponemus, atque explanabimus. 1. Efficiens cauſſa vel *prima*, vel *ſecunda* eſt. Cauſſa prima ea dicitur, quae ceteris ita dat eſſe, ut a nulla eadem acceperit, eſtque ſolus Deus [2]. Cauſſa ſecunda ea eſt, quae alteri certe dat eſſe, ſed ipſa quoque ſuum eſſe ab alio recepit; cuiuſmodi ſunt res omnes creatae. 2. *Principalis*, & *immediata* eſt illa, quae virtute ſua effectum producit; ut pictor eſt cauſſa principalis picturae. *Inſtrumentalis*, & *mediata*, quae veluti medium, & inſtrumentum principali inſervit, ut

(1) *Evidentiſſime hinc eruitur, cauſſam ſolum* efficientem *effectum ipſum producere, ideoque praecipuo quodam nobiliorique modo cauſſae nomine inſigniri, cum materia, & forma intrinſecae ſint partes effectus; finalem vero, & exemplarem cauſſam ad efficientem referri debere.*

(2) *Triplicem habitudinem omnes res creatae habent ad Deum tanquam cauſſam univerſalem:* 1. Efficientem, *cui omnia debent ſuum eſſe:* 2. Exemplarem; *reſpondent enim omnia veritati divinae tanquam ſuae menſurae;* 3. Finalem; *nam ad Dei gloriam tanquam finem ſuum omnia ordinantur. Hinc triplici erga Deum officio adſtringimur:* 1. grati animi, *quia omnia a Deo accepimus;* 2. puritatis conſcientiae, *ne ab exemplari deficientes ad peccatum declinemus;* 3. rectae intentionis, *ut omnia referamus ad Dei gloriam; iſte enim eſt finis noſter.*

ut pictori penicillus. 3. *Generalis* ea vocatur, quae ad plures, ac diverſos effectus confert; quemadmodum ſol ad multas, variaſque generationes. *Particularis* vero, quae unicum effectum producit. Unde cauſſa generalis dicitur etiam *aequivoca*, ideſt effectum producens ſibi diſſimilem. Cauſſa autem particularis vocatur *univoca*, quippe quae effectum ſibi ſimilem, veluti planta plantam aliam producit. 4. Cauſſa *per ſe* ea dicitur, quae natura ſua ad effectum producendum eſt comparata; ut lux ad videndum. Per *accidens*, quae praeter naturae, aut operantis intentionem aliquem producit effectum; ut cum venator feram interimere volens hominem occidit. 5. Cauſſa *totalis*, & *adaequata* cenſetur illa, quae ſola integrum, totumque effectum gignit; ut ſi currus ab uno tantum equo moveatur. *Partialis* vero, & *inadaequata*, quae in operando cum altera cauſſa copulatur; ut cum idem currus a duobus equis movetur (1).

Fie-

(1) *Ut cauſſae quaedam in eodem effectu producendo ſimul conſpirantes* partiales *vocentur, requiritur, ut einſdem ſint generis. Nam ſi diſparis, diſtinctique generis forent, utraque* totalis *dicenda eſſet, & ipſarum utraque totum, integrumque effectum progigneret. Ita ſinguli voluntatis humanae actus toti a Deo, ſimulque toti ab homine producuntur: quod operationes illae a creatis cauſſis factae, totae a Deo veluti cauſſa prima, ſimulque totae a creata cauſſa veluti ſecunda producantur; quemadmodum integer effectus a principali, ſimulque inſtrumentali cauſſa producitur. Quare praeceptore diſcipuli manum dirigente, integri totique characteres ab utroque efformabuntur.*

Fieri aliquando ſolet, ut cauſſa efficiens, habita ratione cuiuſdam effectus, *occaſionalis* tantum debeat appellari. Id autem contingit, cum cauſſa ad effectum producendum dirigitur, ipſumque virtute ſua non producit; ſed efficientem cauſſam excitat, ut operetur; proindeque occaſionem ipſi praebet, ut effectum producat, qua ſublata minime produceretur: tunc autem cauſſa haec occaſionalis (1) vocatur. Ita miracula a ſanctis viris patrata, a ſolo Deo ut cauſſa efficiente produci poſſunt, qui naturae leges a ſe ſtatutas poteſt invertere: Sancti autem viri, qui precibus, ſuiſque meritis divinam excitant clementiam, ut mirificum illum effectum producat, occaſionales huiuſce effectus cauſſae merito exiſtimantur (2). Praeterea effectrix cauſſa diſtribui

(1) *Sic panis, qui a cane videtur, excitat illum ad motum, & eius motus cauſſa cenſetur; cum tamen vera, efficienſque motus cauſſa ſit vitale principium illud, quod in cane reperitur, & ſpiritus animales, muſculos, pedeſque illius impellit.*

(2) *Ita pariter Sacramentorum Miniſtri iuxta veriſimiliorem ſententiam* occaſionales *gratiae, ideſt ſpiritalis mirique effectus cauſſae putandi ſunt; cum, poſito illo corporeo effectu, quem veluti cauſſae efficientes producunt, tanquam occaſione, vel conditione quadam a Deo veluti cauſſa efficiente, producatur incorporeus alius effectus, qui a creata cauſſa produci nequit. Quo pertinet, quod dixit D. Chryſoſtomus* Hom. 83. in Matth. *de Sanctiſſimo Eucharistiae Sacramento differens:* Non ſunt, *inquit*, humanae virtutis opera haec, quae proponuntur: qui tunc ipſa fecit in illa Caena, idem & nunc quoque facit: nos Miniſtrorum tenemus locum: Qui vero ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt.

Digitized by Google

bui etiam ſolet in *neceſſariam*, & *liberam*. *Neceſſaria* ea eſt, quae ita ſuum producit actum, ut ab ipſo nequeat ſe abſtinere: ita ignis, qui ſi ligno admoveatur, ſemper procreat combuſtionis effectum, cauſſa *neceſſaria* vocatur. *Libera* autem eſt illa, quae ita operatur, ut non operari etiam poſſit: eiuſmodi eſt voluntas, quae poteſt creatum obiectum amare, vel non amare. 7. Cauſſa efficiens diſpeſcitur in *Phyſicam*, *Metaphyſicam*, & *Moralem*. *Phyſica* ea dicitur, quae vere effectum gignit a ſemetipſa diverſum; quo pacto homo hominem procreat; & ſol conficit metalla, ut ſuperius quoque indicavimus. *Metaphyſica* autem actione vera, & ſolida rem aliam non parit, ſed illam trahit ſecum neceſſario: ita eſſentia proprietates producit, quia cum ſine illis eſſe nequeat, eas neceſſaria conſecutione ſecum infert. *Moralis* denique vocatur, quae eſt dumtaxat occaſio, ut aliquid fiat; veluti homicidium conſulens, vel imperans moralis homicidii cauſſa erit, quod hominum iudicio conſulenti etiam, aut imperanti tribuitur [1].

8. Tan-

(1) *Morales igitur cauſſae* 1. cognitione, 2. *autem* libertate *praeditae eſſe debent; ſecus ſi* neceſſariae *ipſae forent; neque morales cauſſae dici, neque actus ille morali pravitate; aut boneſtate praeditus eſſe poſſet*. Liberae *vero cauſſae illae ſunt, quae ita operantur, ut etiam non operari queant, poſitis omnibus ad effectum producendum; vel ab eo deflectendum; & ubi libere conſultoque actum inceperint, ipſum abrumpere, & in oppoſitum actum inflecti poſſint*. Neceſſariae, *quae ita operantur, actumque*

8. Tandem omiſſis aliis levioris momenti diviſionibus ad cauſſam efficientem ſpectantibus, unam dumtaxat graviſſimam ſuperaddimus, qua in *creantem*, & *producentem* cauſſa diſtribuitur. Iſtarum cauſſarum diſcrimen rite intelliget quiſquis creationem ipſam maxime differre noverit a productione. Creatio nimirum nullam praeſupponit materiam, ex qua res quaepiam conficiatur; productio vero materiam praeexiſtentem ſupponit, cuius conformatione res poſſit effingi. Negari certe non poteſt, ab univerſis fere veterum Philoſophorum ſectis in dubium fuiſſe revocatam creationem, quod obfirmate ſibi perſuaderent, *ex nihilo fieri poſſe nihil*. Rem hanc naviter explorandam proponimus: cumque ex dubia vocum ſignificatione oriantur plerumque, diuque perſtent diffidia; hinc indicaſſe iuverit, quae potiſſimum ſcito illi percelebri ſubiecta vis ſit, atque poteſtas. Scilicet *ex nihilo nihil fieri poſſe* eſt effatum, cui ſubeſt quadruplex ſenſus. 1. Nihil fieri poteſt a ſemetipſo; quia res quaelibet creata cauſſam aliquam expoſtulat. 2. Nihil fit, quin a cauſſis ſecundis ex materia eruatur, & in illam redeat. 3. Nihil fit ex nihilo; quia nihilum rationem materiae habere nequit, unde quidpiam educatur. 4. Demum illud obvenit, quia nihil effici a Deo poſſit, quin aliqua praeexiſtat materia. Extra omnem controverſiam eſt, primas tres praeceptio-
nis

que ſuum producunt, ut ab illo abſtinere, aliterque operari nequeant; ut apertis oculis, & luce intermedia neceſſario videmus.

nis illius ſignificationes veritati omnino conſentire; quartam vero ab ea deſciſcere [1].

His praenotatis cauſſa efficiens, quam *producentem* nominant, eſt res quaelibet creata. De cauſſis hiſce, quas *ſecundas* vocant, ambigunt Philoſophi, an vim efficiendi revera habeant [2]. Complura quidem extant in rebus, quae oſtendunt, eas eſſe veras cauſſas: videlicet in re qualibet cum inanimi, tum etiam viven-

te

(1) *Hanc ſpeciatim expendimus, ac monemus, eodem rem redire, ac ſi inveſtigemus, an extiterit cauſſa creatrix, vel materia fuerit aeterna; de qua materiae aeternitate diſputarunt Pererius* de rer. nat. princ. lib. 5. cap. 7., *Baylius* Dict. crit. art. Ovidius lit. G, & *Lockius* de intell. hum. lib. 4. cap. 10.

(2) *Carteſius cum Deum motuum omnium auctorem eſſe dixerit, omniaque ſolo motu confici putarit, agendi vim ceteris abſtulit, Deumque dumtaxat cauſſam efficientem eſſe cenſuit* princ. part. 2. num. 36. *Nonnulli quidem opinantur, aliter ſenſiſſe Carteſium; textumque proinde memorant* epiſt. part. 1. epiſt. 72., *ubi cum motum a vi motrice differre aſſerat, concludit, illam rebus ineſſe. Si quid tamen ſapimus, dubitandum non eſſe credimus de mente Carteſii; eo namque loco dubitanter loquitur, & meticuloſe, ut exploratius ſit, ipſum vim omnem rebus ademiſſe. Ceterum recruduit diſputatio Sturmium inter, & Leibnitium, ut videre eſt* ap. act. Lipſ. an. 1698. pag. 426., & an. 1699. pag. 208. *Sturmius enim Carteſium ſequutus ſignum bello dederat* an. 1692., *hoſtemque Leibnitium habuit* an. 1695. *Incredibile dictu eſt, quas ſubtilitates in rem ſuam quiſque congeſſerit: annitebatur Leibnitius, quas dederat monadibus ſuis, vires ſervare; ſurripere autem contendebat Sturmius.*

te quaedam ſunt diſpoſitiones, quibus aptae fiunt ad quidpiam efficiendum. In iis enim, quae vita carent, facultates obſervantur, ſeu qualitates, cuiuſmodi in igne calor, in glacie frigus, humiditas in aqua eſt. Viventibus autem inſtrumenta multa adſunt, ſive partes organicae, quibus cibus in ſanguinem vertitur, & ſpecies procreatione aſſervatur. At univerſa haec ſuperfluerent, ſi omni actione cauſſae forent deſtitutae, nihilque poſſent efficere. Deus nimirum cunctis omnino effectibus originem faceret, quin facultates cauſſarum, & organa ullam ad ipſos operam conferrent [1]. Ergo negandae rebus minime ſunt vires ad agendum.

Quod autem pertinet ad cauſſam *creatricem*, Philoſophi ex veteribus illuſtriores ipſam admiſerunt creationem [2]; & ratio ipſa ſuadet eam eſſe omnino poſſibilem.

---

(1) *Praetereundum non eſt, multas a D. Thoma afferri rationes* lib. 3. cont. gent. cap. 21. 69. 77., *quibus demonſtrat, cauſſas vi effectrice vere potiri. Eas potiſſimum repetit a finis ratione, a divinis attributis, a rerum perfectionibus, & a locis aliis, quibus abundant Peripateticorum volumina.*

(2) *Plato, cuius textus expendit Cudworthus* Syſt. intell. cap. 5. ſect. 2. §. 14., *ſentit, ante corporum exiſtentiam prodiiſſe animum humanum, & propterea erutum a materia haud fuiſſe. Neque diſſentire viſi ſunt a Platone diſcipuli Plotinus, Proclus, Iamblychus, & Porphyrius, qui materiam ingenitam negarunt, ut a Proclo ipſo* Comment. in Timaeum Plat. pag. 116. *ineffabilis materiae cauſſa Deus nominetur. Scribit praeterea Iamblychus* de myſt.

bilem. Cauſſa infinita finitis eſt cauſſis potentior (1). Conſtat enim, innumeras extare cauſſas finitas, quae licet ſubſtantiam minime creent, modos tamen creare videntur. Homines nempe facile, frequenterque ſuas edunt cogitationes; nec demonſtrari ullatenus poterit, illas ex materia profluere. Suas animantia exerunt ſenſationes; & nemo unus, niſi deſipere velit, affirmabit, eas eſſe varias molecularum concretiones. Plantae denique ſuos peragunt motus, quibus nutriuntur, ac perpetuo vegetant; nec illos a materia progredi patebit, quae nec ad motum, nec ad quietem eſt proclivis. Quod ſi aliae cauſſae modos gignunt, cuiuſmodi ſunt cogi-

myſt. Aegypt. ſect. 5. cap. 23., & ſect. 8. cap. 3., *idem ſenſiſſe Hermem cum Aegyptiis, creatam nempe a Deo fuiſſe materiam; quam quidem ſententiam, teſtantur alii, in Graeciam ab Orpheo traductam fuiſſe.*

(1) *Solius Dei, cuius potentia infinita, eſt ex nihilo aliquid creare, & in nihilum redigere. Quo maior enim eſt numerus multiplicans, maius erit multiplicati productum, quemadmodum minus habebitur diviſi quotiens, quo maior erit numerus dividens; & ſic ciphra o ſeu nihil infinite multiplicatum aliquid evadet, & numerus aliquis infinite diviſus prorſus evaneſcet. Quare ut ſapientiſſime Mathematicorum ſuae aetatis facile princeps Guido Grandus demonſtrat, ita eſt infinitum ad finitum, ut finitum ad o; (infinita namque, & omni quae concipi queat, maior ratio eſt inter infinitum, ac finitum; & finitum inter, & o) & ſic productum extremorum, infiniti nempe, & o, aequale erit producto mediorum ex finiti ſcilicet cum finito multiplicatione reſultanti. Tanta ſiquidem eſt infiniti vis ac poteſtas.*

cogitationes, ſenſationes, nutritiones, auferenda minime erit cauſſae infinitae creandarum ſubſtantiarum vis atque facultas. Quemadmodum enim a materia modi illi non egrediuntur, ſed ab altiori proveniunt, abditiorique principio; ita a Deo confici aequius poſſunt ſubſtantiae, quin ulla praeexiſtat materia (1); adeoque poſſibilis prorſus eſt cauſſa creatrix. Quibus demonſtratis, pro huiuſce capitis coronide adnectanda ſupereſt clarior, quae ſubiici poſſit, *creationis*, ac *productionis* idea. Illud nimirum creatur, cuius partes producuntur omnes, quin earum ulla praeextiterit; efficitur vero, atque

(1) *Et quidem ante res omnes exiſtere haud potuit chaos, quod quatuor conſtaretur elementis, diverſaſque, & oppoſitas haberet affectiones. Ubi enim qualitatibus adverſis elementa illa fuiſſent donata, loco eodem a tota aeternitate non ſtetiſſent; ſed abire debuiſſent perturbate, & pro gravitatum ratione res multas effingere. Demonſtrari id poteſt, Baylii teſtimonio* Dict. crit. art. Ovidius litt. G, *phyala elementari, quae metallicis repleatur particulis, triplicique liquore inaequaliter gravitante. Ea ſane ſi agitetur, perturbatam exhibet, obſcuramque trium liquorum cum metallo colluviem: ubi autem quieſcat, reſtituit univerſa, ut fundum det partibus metallicis, ac liquores pro ipſorum gravitate diſtribuat. Ratione haud diſſimili materia ſi ab aeterno fuiſſet, exhibuiſſet quidem principio confuſam indiſtinctamque molecularum congeriem; in res tamen multas coaluiſſet, ſi pro oppoſitarum qualitatum ratione particulae ad alias homogeneas ſe contuliſſent, & repuliſſent adverſas. Verum qui haec admittit, corpora inducit ante corporum productionem; ſtatuit enim, materiam in res conformari, priuſquam cauſſae efficientis actio adveniat.*

atque producitur, cuius pars aliqua praeextitit rei totius efformationi. Si corporum exempla velimus, creatur corpus, quum forma illius editur, proprietates, & materia: producitur autem, ſi materia, quae iam extabat, novam recipiat conformationem, novaſque affectiones. Spiritus quoque creatur, ubi illius ſubſtantia fiat, unaque perceptionum modi: produceretur, ſi eius ſubſtantia jam creata, novae conferrentur, ut dici ſolet, facultatum, atque operum modificationes.

DE PRIMIS AXIOMATIS, QUAE EX ENTIS, AC MODI ENTIS GENERATIM, ET UTRIUSQUE ATTRIBUTORUM IDEIS SUNT CONFLATA.

C A P. VIII.

Immorati hucuſque ſumus in ente, eiuſque modo ſpectandis; ſicuti quoque utriuſque affectiones ſive communes, ſive etiam proprias recenſuimus. Veniendum modo ad aliud Ontologiae munus, ſcilicet ad primas notiones, propoſitiones, vel etiam axiomata proponenda, quae ex primis tum entis, tum modi generatim, & utriuſque attributorum ideis coaleſcunt, ut quae ab iis ſunt derivata, ac per ceteras facultates diſperſa principia, in hac ſcientia Ontologica ſeu prima Phi-

Philoſophia [1] tanquam rivuli in fonte, vel rami in ſtipite contenta videantur.

Axioma in recentiorum Philoſophorum ſententia eſt *propoſitio*, ut iam definitum fuit in Logica, *ita perſpicua, ut per alias clariores probari nequeat, nec ullatenus confutari* [2]. Quare ſi qua propoſitio licet perſpicua occurrat, quae ex alia clariori illuſtrari, aut refutari poſſit, vel hoc ſolo nomine ex *primarum veritatum*, aut *axiomatum* cenſu delenda eſt [3].

Primas veritates duplici via conſequimur, *intime*

ſeu-

(1) *Prima Philoſophia, ſeu ſcientia generalis, ut ſuperius quoque innuimus, eſt veluti communis aliarum facultatum parens, ex qua omnes ſuam trahunt originem, ipſique, quidquid habent certitudinis, & evidentiae, acceptum ſingulae referunt.*

(2) *Definitio haec clara adeo eſt, ut ineptus ſit, qui eam longo ſermone exponere contendat; ineptior, qui id efflagitet. Cum igitur id omnibus ſit axiomatis commune, ut eorum veritas per ſe ſe quodammodo luceat, & evidenter conſtet; non alia eſſe videtur prima veritatis, ac certitudinis regula, vel, ut Graeci aiunt,* criterium; *non aliud, ut cum Scholis loquamur, primum certae cognitionis principium, quam* evidentia, *ſeu claritas, atque diſtinctio idearum.*

(3) *Hinc tres ſunt primarum veritatum, vel axiomatum notae: 1. quod ſint adeo clarae, ut clariores nullae occurrant, aut certiores, quibus exponi poſſint: 2. quod tanta conſenſione, ac firmitate ab omnibus admittantur, ut nulli, aut fere nulli ſint, qui eas reſpuant: 3. quod ita alte defixae in animo ſint, ut nullis adverſariorum cavillationibus poſſint deleri; immo vero ex eorum praeſcripto ſuam quiſque vitam inſtituat.*

ſenſu, & *humana ratione* (1). Prima itaque & praecipua veritas, quae intimo ſenſu a nobis percipitur, eſt *cognitio propriae exiſtentiae, earumque rerum, quae in animo fiunt*. Hanc nullo ſenſuum miniſterio, nulliſque argumentationibus, ſed *intimo ſenſu*, ac tacita quadam conſcientia ſinguli homines ita percipiunt, ut nihil ſupra; & qui aliquo argumentorum genere idipſum vellet probare, rem potius obſcuraret, quam illuſtraret (2). Ad alteram modo cognoſcendi viam, ſcilicet *rectam rationem* accedamus. Haec autem definitur *facultas, quam habent homines ratione utentes, ut de rebus, quas intimo ſenſu non percipiunt, eodem modo iudicent omnes, aut ferme omnes: quod iudicium ex nullo praecedente ductum a ſeipſo menti ſe ſe offert* (3). Itaque recta ratio, quae alio nomine *com-*

 mu-

(1) *Quas* intimo ſenſu *conſequimur veritates, nulloque ſenſuum externorum adiumento percipimus*, internae *ſolent appellari. Quae autem* humana ratione, *ac ſenſuum ope comparantur*, externae *dicuntur*.

(2) *Hinc patet, cognitionem illam evidentem maxime eſſe, ſeu, ut alii vocant, mathematicam habere evidentiam; ſicuti quoque ceteras, quae ex eodem principio proxime fluunt; veluti demonſtrationes omnes ritè confectas, quae iccirco mathematicam evidentiam habere dicuntur*.

(3) Recta ratio *duo manifeſte complectitur: alterum facultatem iudicandi eodem modo de rebus, quae extra nos ſunt; quae quidem facultas omnibus ineſt, qui recto rationis uſu pollent: alterum facultatem inferendi ex veritatibus iam cognitis alias veritates per neceſſariam concludendi rationem; quod plane ſine prima facultate fieri nequit. Interdum tamen pro prima facultate accipitur, ut hoc loco; interdum pro ſecunda*.

munis ſenſus, & *naturae vox* dicitur, omnes quidem ducit, ut de rebus perſpicuis eodem modo diiudicent. Verum cum Deus hominem liberum condiderit, iſque ſua libertate in iudicia inepta frequenter incidat; animum ſuum iis ita hebetat, ac retundit, ut nihil interdum videat ex vero; quod alii alia ratione faciunt (1). Quapropter ſi uno aut alio eventu ſenſui communi aliquis

(1) *Cauſſae*, *cur* ſenſus communis *non in omnibus eodem modo ſe babeat*, *plurimae quidem ſunt*, *ſed ad quaedam capita referri facile poſſunt*. *Ipſarum* 1. *eſt* inanis gloriae *cupiditas*, *quae nos movet*, *ut alio*, *ac ceteri homines*, *modo & cogitemus*, *& loquamur*, *quo facilius praeter ceteros ingenioſi praedicemur*. 2. Nimia diligentia, *ſive* curioſitas *nos impellens*, *ut de rebus*, *quae humana ratione inveſtigari nequeunt*, *iudicium feramus*. *Quod ſi rite illa utamur*, *fiet*, *ut iam factum eſt*, *ut ſcientiae plurimae ortum inde ſuum repetentes illuſtrentur*, *ac promoveantur*. 3. Partium ſtudium, *quod efficit*, *ut mordicus*, *cui nomen dedimus ſectae adhaereamus*; *veluti Pyrrbonici*, *& Academici*, *qui ea de cauſſa generalem dubitationem vehementer propagarunt*. 4. Negligentia, *nimiaque* in iudicando celeritas; *ſaepe enim non recte examinare principium*, *quod nobis eſt ſyſtematis fundamentum*, *in cauſſa eſt*, *cur decipiamur a continuata illa progreſſione atque ſerie evidentium propoſitionum*, *quae ex eodem rite eruuntur*. 5. Inſolens philautia, *quae nos veluti cogit*, *ut ſenſui communi haud auſcultemus*, *qui veritates quaſdam*, *quae nobis videntur incommodae*, *liquido repraeſentat*. *Haec aliaque eiuſmodi aperte demonſtrant*, *& cauſſa ſunt*, *cur homines aliquando* ſenſus communis *expertes eſſe videantur*: *& reapſe ita ſunt*, *ſi reliqui homines*, *qui alio modo cogitant*, *cum iiſdem conferantur*.

Digitized by Google

quis repugnet, *ineptus* vocatur (1); ſi in omnibus repugnet, *demens*. Is itaque *communis omnium ſenſus*, non ille ineptorum quorumdam, tanquam veritatis criterium haberi debet. Quod adeo verum eſt, ut non modo in rebus communibus, verum etiam in quibuſdam privatis locum habeat. Hinc ſi in iis, quorum notitiam, uſumque habeo, videam alios non aeque exercitatos diverſimode iudicare, atque ego iudicem; iure optimo eos errare affirmare poſſum. Sin rebus omnibus aequalibus, plerique omnes diverſo modo iudicent; tunc me errare pro certo mihi tenendum eſt; neque enim fieri poteſt, ut tot homines ad iudicandum idonei fallantur; ego autem ſolus ad ſcopum collineem (2): & commu-

(1) *Illud tamen mirabile occurrit, quod etiamſi tanta ſit praeiudicatarum opinionum copia, tantaque in iudicando varietas, ut vix unum doctiſſimum, ac prudentiſſimum reperias, qui in aliquo eventu ineptus ſit; plerique tamen in certis rebus ita conſentiunt, ut nulli magis.*

(2) *Exemplo res illuſtretur. Singulae Artes, ut eloquentia, poeſis, pictura, architectura, ceteraeque aliquid habent ſibi praecipuum, in quo illarum perfectio ſita ſit: idque non unus & alter de populo, ſed viri his contriti ſtudiis, & in antiquitate bene verſati ſoli cognoſcunt. Fingamus, te orationem, aut poema a te, vel ab amico elucubratum vulgare, atque laudare; ſed eiuſmodi eſſe, quod tibi, tuique ſimilibus dumtaxat comprobetur: viris autem emunctae naris, veteris eloquentiae, ac poeſeos callentiſſimis ſapere videatur purum putumque, ut aiunt,* ſexcentiſmum. *Quis ſanus dixerit, te recte iudicaſſe, erraſſe ceteros? Veriſimile certe non eſt, ut tot tantique ho-*

ne illud iudicium eſt quaedam naturae vox, quae in hominibus bene doctis, & qui diiudicare poſſunt, ex intimo pectore erumpit.

Quod autem communis omnium ſenſus primas aperiat, exhibeatque veritates, & plurima ſint iudicia, quae & fere omnes faciant homines, & ex nullis aliis clarioribus eruantur; extra omnem controverſiam erit cuicumque humanas actiones, iudiciaque ad examen rite revocarit. Huiuſmodi ſunt, ut a notioribus exordiamur iudiciis:

I. Ego ſum unus, non duo homines.

II. Corpore, & intelligentia ego ſum praeditus.

III. Liber ſum, ſcilicet ſine ulla cauſſa, quae me cogat; quod mihi placet, agere poſſum.

IV. Exiſtunt hoc terrarum orbe alii homines praeter me, corpore, & intelligentia vel ipſi donati.

V. Ego meipſum non creavi.

VI. Quidquid ſummo artificio eſt efformatum, id ab aliqua cauſſa ratione praedita factum eſt.

VII. Si multi numero, ſani iudicii, probataeque fidei homines aliquid non auditum, ſed cognitum teſtentur, id pro certo & explorato haberi debet; aliaque huiuſmodi.

Haec ſiquidem, ut conſtat, ex aliis non profluunt iudiciis; deinde clara adeo ſunt, ut nihil clarius; ab omni-

---

mines errent; tu vero ſolus recte iudices. *Itaque* communis *ille* omnium ſenſus *nobis ſit oportet veritatis* criterium.

Digitized by Google

omnibus tandem, ineptis quibuſdam exceptis, admittuntur. Ergo pro primis veritatibus habentur.

Hic autem aliquis fortaſſe quaeret, quî differant primae veritates *intimo ſenſu* cognitae ab iis, quae *rectâ ratione* acquiruntur. Nihil prorſus differunt, ſi perſpicuitatem, ac certitudinem quaeramus. Si autem modum, quo nos faciunt certiores, nonnihil differunt. Nam veritates intimo ſenſu cognitae ita menti meae ſunt praeſentes, ut nonniſi qui demens ſit, de earum exiſtentia poſſit dubitare. Quae autem recta ratione cognoſcuntur, non ita fortiter me cogunt, & volentem nolentem trahunt, ut iis aſſentiam; cogunt tamen, ſi animum ad eas advertam. Exemplo eſſe poteſt demonſtratio mathematica, & metaphyſica, quarum utraque ſumma evidentia ac certitudine pollet. Mathematica tamen, quia numeris, & figuris conſtat, quae nos vividius tangunt, ita alte in animo defigitur, ut volentem nolentem me rapiat ad conſentiendum. Metaphyſica vero etſi cogit, ſponte quidem, ut ita dicam, me ducit; non tamen invitum rapit. Quapropter illud apud omnes eſt exploratum, utraſque veritates ita hominem ad conſentiendum cogere, ut nonniſi inſanientis eſſet eas negare: quod plane ad id, quod quaerebamus, ſatis ſuperque ſit.

ME.

METAPHYSICAE PARS SECUNDA
SIVE PNEUMATOLOGIA.

GEneralibus entium principiis, & affectionibus iam demonſtratis, recta methodi ratio poſtulat, ut de ſpiritibus tractationem aggrediamur; quae quidem alteram metaphyſicae partem conſtituit, ſeu Metaphyſicam Particularem complectitur; quaeque proinde *Pneumatologia*, ſeu ſpirituum ſcientia a nobis nuncupatur, cum in illa ſpiritum humanum, nempe animum, & Spiritum infinitum, ſcilicet Deum ipſum ſimus contemplaturi. Hinc in duas ſectiones tractationem hanc dirimemus, in quarum prima *Noologiae* nomine inſignita ſermonem inſtituemus de mente humana; ut in altera, quae *Theologiae Naturalis* nomine decoratur, ad Deum veluti naturae auctorem, primamque rerum omnium cauſſam, & univerſi opificem, non divinae Fidei lumine, ſed ſolis naturae viribus contemplandum, quibuſdam veluti gradibus adſurgamus. In Noologia itaque de animi natura, & origine agemus; deinde ſpiritalem, & immortalem eſſe; poſtmodum eius facultates, nempe intelligendi rationem, & arbitrii libertatem oſtendemus; arcanas tandem leges, modumque, quo incorporeus, & immortalis animus mortali corpore coniungitur, perſcrutabimur. In Theologia naturali initio qui-

quidem de exiſtentia Dei diſſeremus ; poſtea ipſius eſſentiam & naturam, quantum naturalis ratio patitur, inveſtigabimus ; ſingula tandem attributa divina clariori, quo poterit ordine, demonſtrabimus.

DE ANIMI NATURA, ET ORIGINE

SECTIO PRIMA, SEU NOOLOGIA.

CAP. I.

Quemadmodum a Graecis animus ab anima diſtingui ſolet, cum ille peculiari nomine Νοῦς, ideſt *Mens* vocetur, nobilior ſane vitae ſpecies ratione munificientiſſime donata, quae intelligere, & amare poteſt; haec autem Ψυχὴ, nimirum vitae ſpecies, quae alterno aeris inſpirati, ac reſpirati motu fovetur, alitur, & conſervatur : ita & a Latinis animus ipſe ab anima diſcernitur ; ille etenim animae rationalis nomine deſignari etiam ſolet, quod ſpiritalis cognitionis, & rationis ſit particeps ; haec autem corporeis quoque rebus adſcribitur ; plantis ſcilicet, & brutis animantibus, quae peculiari quadam animae ſpecie praedita exiſtimantur. Ad rem noſtram facit, quod inquit Lactantius (1) : *Non eſt idem anima, & mens ; aliud eſt enim, quo vivimus ; aliud, quo cogitamus*. Et Macrobius (2) : *Animus proprie mens eſt, quam diviniorem anima, nemo dubitavit*.

(1) *Divin. Inſtit. lib.* 7. *cap.* 12.
(2) *Somn. Scip. c.* 14.

vit[1]. His ita conſtitutis, animi ergo nomine debet intelligi principium illud, quod in homine reperitur, cuius ope ille cogitat, verum intelligit, bonum vult, ſibique eiuſmodi cogitationum, perceptionum, ac, ut ita dicam, volitionum eſt conſcius[2]. Principium iſtud cogitationum cauſſa, & origo, *rationalis* etiam *anima* nuncupatum, quod in nobis exiſtat, intelligat, atque velit, intimo ſenſu, & conſcientiâ naturaliter novimus[3]. Nam cum nihil exploratum magis ſit, quam nos cogitare, dum cogitamus, velle, cum volumus &c.; certum quoque nobis eſſe debet, exiſtere in nobis principium illud, quo ſingulae iſtae operationes, quarum conſcii ſumus, in nobis peraguntur[4]. Ex his igitur omni-

(1) *Lucretius ipſe quamvis animum corporeum, ac mortalem eſſe putaverit, ipſum tamen ab anima diſtinguendum eſſe demonſtravit lib. 2. v. 123.*:

Unde animâ, atque animi conſtet naturâ videndum.

(2) *Cum noſtrum quilibet mira quadam partium textura, ſenſuum varietate, gravitate, figura, motu, aliiſque id genus corporeis affectionibus motus varios, varioſque corporeos actus producat; ita pariter mentis animive praeſidio, veluti puriore quodam, diſtinctoque principio nobiliores actus ſupra memoratos efficiet, qui neque a corporea ſubſtantia, neque a corporeis illis affectionibus oriri poſſunt.*

(3) *Unde Aphrodiſaeus* lib. de Anima 2. c. 1. *ait, animum eſſe* γνωριμώτατόν τε, καὶ φανερώτατον, *ſcilicet* rem maxime cognitam, & manifeſtam.

(4) *Itaque praeclare dixit S. Auguſtinus lib. de Trinit. 10. n. 14.* Quoniam de natura mentis agitur, removeamus a conſideratione noſtra omnes notitias, quae capiuntur

omnibus conficitur humanae mentis definitio, quam D. Auguſtinus [1] nobis tradidit his verbis: *ſi definiri tibi animum vis, & ideo quaeris, quid ſit animus, facile reſpondeo; nam mihi videtur eſſe ſubſtantia quaedam rationis particeps regendo corpori accommodata*. Dicitur 1. *Subſtantia*, quia animus operandi vi pollet; quod quidem accidenti convenire minime poteſt. 2. *Rationis particeps* [2]; etenim animus ita cogitat, ut cogitationis ſit ſibi conſcius, cogitationem unam ex alia deducat [3]; adeo-

tur exſtrinſecus per ſenſus corporis, & ea, quae poſuimus, omnes mentes de ſeipſis noſſe, certaſque eſſe, diligentius attendamus.

(1) Lib. de quant. Animae num. 12. al. c. 13.

(2) Rationis *nomen pro* cogitatione *generatim uſurpari videtur; adeo ut non male a recentioribus Philoſophis dicatur animus* ſubſtantia cogitans, *quae cum corpore humano coniuncta totum quidpiam, nempe hominem conſtituit. D. Auguſtin. lib.* 10. *Confeſſ. c.* 11. *ait*: cogo, & cogito ſic eſt, ut ago, & actito, facio, & factito. Veruntamen ſibi animus hoc verbum proprie vendicavit, ut non quod alibi, ſed quod in animo colligitur, cogitari proprie iam dicatur. *Elegans quidem verbi* cogitare *etymologia, & ſane congrua; omnis enim cogitatio in quadam* conceptuum collectione *conſiſtit, ut indicare, & ratiocinari poſſimus*.

(3) *Cogitatio eſt affectio, proprietas, actus, & operatio, quae menti cogitanti ineſt, vel ab animo cogitante producitur; adeoque character eſt, quo mens ipſa a corpore differt, atque diſtinguitur. Unde animus erit ſubſtantia quaedam eiuſmodi cogitandi vi praedita, proindeque cogitationes illas in homine producet. Hinc Philoſophi* cogitatio-

adeoque ratione praeditus eſſe debeat. 3. Demum *regendo corpori accomodatus eſſe* dicitur; quod divini, ſapientiſſimique Opificis libero, & admirabili conſilio fuerit humano corpori coniunctus, & ita non ſolum a Deo, ſed ab Angelis etiam eſt diſtinguendus.

Animi natura perſpecta, ad eius originem explorandam accedamus (1). Eiuſmodi origo non alio prorſus

ex

---

tionem a re cogitante *optime diſtinguunt adverſus Carteſium; cum* cogitationem *nihil aliud eſſe putent, quam* modificationem, & actum, qui ab humana mente producatur. *Carteſius vero mentis eſſentiam in hac ipſa* cogitatione *poſitam eſſe* Princip. part. 1. num. 8. 9. *arbitratus eſt; ſicuti corporis eſſentiam in ſola* actuali extenſione *locatam eſſe pronuntiavit: quam quidem ſententiam amplexati ſunt Malebranchius, Regiſius, Leibnitius, & Wolfius* Pſych. ration. num. 66. 67. 68.

(1) *Multum de animi origine diſputatum eſt a recentioribus Philoſophis, qui controverſiam pene ſopitam ſubtili diſquiſitione iterum in ſcenam revocarunt. Et ſane fuit haec olim apud veteres Philoſophos nobilis controverſia, quae acutiorum quorumque ingenia fatigavit. Quidam e materia educi animum exiſtimabant. Alii a parente cum ſemine in prolis corpuſculum traduci iudicarunt; quod extrema aetate prae ceteris Sennerti Schola tueri adorta eſt. Nonnulli a Deo creari, & in corpora, cum primum generantur, infundi animos propugnabant. Poſtremo alii e caelo, vel aſtris, vel neſcio quo loco induci in corpora humana animum cenſebant; tametſi non omnes eodem modo, ut Morus, Leibnitius, Planerus. Unde* Traductianorum, Creatianorum, Inducianorum *Sectae ſuperiori ſaeculo rurſum auditae fuere, quae turbas nimis multas in Scho-*

las

ex fonte repetenda, quam ab ipſo Deo, qui animum humanum ſua omnipotentia ex nihilo repente eduxerit.

Quod

las induxerunt. Tamdiu exarſit controverſia, ut ad ſaeculum uſque undecimum pervenerit; teſtatur enim Formondus Philoſ. Chriſt. de anim. lib. 4. cap. 3., *conqueſtum Anſelmum de intempeſtiva morte fuiſſe, quod ſibi de animi origine ſcribenti tempus defuiſſet.* Super animae ſtatu, *inquit Hieronymus*, memini veſtrae quaeſtiunculae; immo maximae Eccleſiaſticae quaeſtionis: utrum lapſa de caelo ſit, ut Pythagoras Philoſophus, omneſque Platonici, & Origenes putant; an a propria Dei ſubſtantia, ut Stoici, Manichaeus, & Hiſpana Priſcilliani haereſis ſuſpicantur; an in theſauro habeantur Dei olim conditae, ut quidam Eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt; an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora ſecundum illud; quod in Evangelio ſcriptum eſt: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor;* an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium autumant; ut quomodo corpus ex corpore; ſic anima naſcatur ex anima, & ſimili cum brutis animantibus conditione ſubſiſtat. *Epiſt. ad Marcellinum, & Anapſychiam Oper. T. 4. part. 2. p. 642. edit. Martian. Rem eſſe maxime impeditam eiuſmodi quaeſtionem, admonet Auguſtini dubitatio* lib. de Anim. & eius orig. n. 25., *qui varias etiam ſententias perſequitur* lib. 3. de lib. arbitr. cap. 21. *Id pro certo habendum, Patribus ad nonum uſque a Chriſto ſaeculum, & eo amplius dubiam viſam eſſe de animorum origine ſententiam, ut legi poteſt apud Cl. Noriſium Cardinalem in* Vindiciis Auguſtinianis cap. 4. §. 3., *& Natalem Alexandrum in* Hiſt. Eccleſ. ſaeculi 5. cap. 4. §. 9. *A Concilio Lateranenſi IV. anno* 1215. *cap. de* Fide Cathol. *hoc habemus Decretum:*

tum:

Quod autem e nihilo eductus fuerit animus humanus, eiuſque origo a Deo ipſo ſit repetenda, facile evincitur, ſi conſideremus, 1. quod animus incorporeus, & partium expers eſſe debet, ut ſequenti capite demonſtrabimus; adeoque educi non poterit ex materia, ſed ſolum *a non eſſe*, ut Scholae loquuntur, nimirum a nihilo *ad eſſe* transferri debebit. 2. Animi humani ex nihilo productio, & a nihilo ad eſſe translatio, id profecto nulli creatae cauſſae adſcribi nequit, ſed infinitae ſolum potentiae tribuendum [1].

Quo autem tempore animus ipſe ſit a Deo creatus, id Sacrarum Literarum auctoritate a Theologis demonſtratur: ſed quod ad Philoſophos ſpectat, cum animus te-

---

tum: Deus ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam. *Itaque Theologi P. Lombardum ſequuti piam ſententiam, nempe animos tunc creari, cum corporibus infunduntur, ſolent propugnare.*

(1) *Hinc optime ab Arato de Iove, ſupremoque Numine diſſerente, dictum fuit*: Τȣ γὰρ ϗ γένος ἐσμέν: nam & ipſius genus ſumus; *quod Arati effatum Paulus Apoſtolus* Act. Ap. c. 17. v. 28. *uſurpavit, ut humanos animos a ſolo Deo productos demonſtraret. Idem quoque comprobatur veteris Teſtamenti auctoritate; etenim* Geneſ. c. 2. v. 7. *legitur, quod cum Deus humanum corpus ex limo efformaſſet*, inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitae. Eccleſiaſt. c. 12. v. 7. *vero habetur, quod moriente homine*, ſpiritus redibit ad Deum, qui dedit illum.

regendo corpori ſit deſtinatus, veroſimilius videtur, ipſum e nihilo a Deo tunc produci, cum praeformato corpori debet adiungi; quidquid dixerint veteres Philoſophi, inter quos accenſendus eſt Plato, qui ab aeterno humanos animos creatos fuiſſe [1] affirmavit. Nemeſius vero, Synenſius, aliique complures putarunt, animos omnes in ipſa mundi origine productos fuiſſe; quam quidem ſententiam noſtra hac aetate amplexi ſunt Leibnitius [2], & Wolfius [3]: verum nulla prorſus ſuffi-

(1) *Exiſtimavit Plato, humanos animos ab aeterno creatos in aliqua caeli parte, & praecipue in ſideribus poſitos eſſe, ut ibi incorporeis rerum ideis ſibi impreſſis intenti perenni quadam cognitione fruerentur: ubi vero corpus aliquod genitum, riteque diſpoſitum eſſet, animus quidam ex ſidere deſcendens ipſi coniungi, iterumque moriente corpore ad ſidus redire. Origenes autem, Auguſtino teſte* lib. 11. de Givit. Dei cap. 23., *putabat, creaviſſe Deum animos ante corpora omnia; eos vero in corpora inieciſſe, aiebat, ob peccata, quae patraverant ante corporum efformationem; quam quidem Origenis praeceptionem confixit Concilium ſecundum Bracarenſe* Can. 6.*; proſcripſitque etiam Iuſtinianus Imperator ſcripto; quod Synodus quinta confirmavit* Can. 1. adv. Origen.

(2) *Theodic. part.* 1. *num.* 86. *& ſeqq.*

(3) *Ontol. Coſmol. Pſychol. locis plur. Philoſophus iſte ex Leibnitio decernit, creatas hominum animas fuiſſe a mundi primordiis; in corpuſculis vero poſitas admodum exiguis, quae perfecta, accurataque donabantur organorum omnium diſpoſitione. Corpuſcula haec humana cum animabus ſuis, ſubdit, concluſa arte ſumma fuiſſe in ovulis, quae in Evae corpore extarent, ibique praeſtolatas animas fuiſſe*

ſufficiens ratio a Philoſophis iſtis excogitata fuit, vel excogitari unquam poterit, qua perſpicue demonſtretur, animos ipſos ante corpora extitiſſe. Immo creari a Deo animum ipſum, cum corpori iam formato adiungi ille debet, tribus potiſſimum de cauſſis poteſt contra Wolfium comprobari. Et primo in Oecumenica quinta Synodo Lateranenſi definitur [1], animos pro corporum, quibus inſeruntur, numero multiplices extitiſſe, ac futuros eſſe multiplices: decernuntque proinde Patres, creatos animos antea fuiſſe, & fore deinceps creandos, ubi videlicet praeſto ſit corpus efformatum. Secundo in corpuſculis animo praeditis oppoſitio reperitur, & antilogia; ſive dicat Wolfius moveri illa, & vivere; ſive motus, ac vitae velit expertia. Ubi non vivant, nec moveantur, falſa erit praeceptio, qua incunctanter cre-

di-

---

fuiſſe tempus, quo prodirent cum corpuſculis. Id vero tribus potiſſimum rationibus confirmare contendebat.

1. *Innui aiebat a Sacra Scriptura* Geneſ. cap. 2., *die ſeptimo quieviſſe Deum ab omni opere ſuo; quod perperam diceretur, & inepte, ſi momentis ſingulis crearentur animi ad corporum efformationem.*
2. *Medium extitiſſe mundum fini omnino accomodatum, quo Deus exploratam faceret potentiam ſuam, ac bonitatem; unde ſupervacanea eſſet ad finem illum nova animorum creatio.*
3. *Extare in corpuſculis rationem ſufficientem, qua animum ſtatim acciperent; organis enim donabantur, quibus conſentanea penitus erat animi natura. Quibus omnibus alia adiiciebat Wolfius: at haec praecipua ſunt illius argumenta; quorum momentis facimus ſatis in huiuſce capitis calce.*

(1) *Seſſ.* 8.

dimus , progredi ab animo motum, vitamque ; ſique res ſecus ſe habuerit, a ſemetipſis movebuntur, & in uterum dilabentur. Tertio nulli foeminae commendanda eſſet virginitas, quam tamen haud ignoramus, ſummis fuiſſe laudibus commendatam a Chriſto Domino (1). Ubi enim tuendae virginitatis gratia mulier a viris abſtineret, animos perderet ſuo in corpore deliteſcentes, nimirum homunculos praefocaret, quorum animi viam ſibi praecludi cernerent ad egreſſum. Improbandae propterea ſunt Wolfii meditationes in adnotatione propoſitae (2). Primo itaque reponendum, a rerum generibus die ſeptimo Deum ceſſaviſſe, non autem ab individuis; ita ſentit Auguſtinus (3), cui arriſiſſe putant novas animorum creationes. Secundo reſpondendum, medium non fuiſſe mundum olim extructum ad attributa divina referanda ; ſed totam eſſe rerum per univerſa ſaecula excurrentium ſeriem, quibus accenſenda eſt animorum creatio. Tertio demum dicendum, rationem ſufficientem a corpuſculorum forma petitam nihil facere ad animos, ubi in corpuſculis ipſis vitam, motumque non habeant, ſed otientur, ut Wolfiani jubent, & omnino ſuperfluant (4).

DE-

(1) *Matth. cap.* 19.
(2) *Scilicet in ſuperiori adnotatione ſub num.* (3) *pag.* 93.
(3) *In Geneſ. ad liter. lib.* 4. *num.* 22.
(4) *Qui ſubtiliora in Wolfium expoſtulet*, *Fortunatum* Philoſoph. ment. vol. 2. part. 2. ſect. 3. *adeat*, *&* *Gluſium* Animadv. in Wolf. Pſychol. num. 2194. & ſeqq.

CAP. II.

ANimum humanum ſpiritalem eſſe, ex iis, quae de eius natura expoſuimus, facile poteſt intelligi. Nam intimo, vividoque ſenſu percipimus, animum cogitare, intelligere, velle, dubitare, opinari &c.; quae quidem operationes nunquam poſſunt a corpore proficiſci, cum illud quantumvis dividatur, moveatur, figuretur, nullam tamen cogitationem ex ſe poterit profundere; quapropter cogitatio, perceptio, ceterique mentis actus ad diverſi ordinis naturam, ſeu ſubſtantiam, quam ſpiritalem appellamus, ſunt referendi. Ergo animus humanus ſubſtantia eſt ſpiritalis (1). Accedit etiam,

(1) *Eſſe animum humanum ſpiritalem, inficiatus saeculo hoc ineunte audaciſſime fuit, Stratonis Lampſaceni Peripatetici ſententiam ab oblivione vindicans Guilelmus Cowardus Medicus Londinenſis* in Cogitationibus Poſterioribus de Anima, *&* in Vindicatione rationis, & religionis contra impoſturas Philoſophiae; *ſcriptaque alia adiecit contra animi immortalitatem. Sed impudentiſſimum, ſtolidiſſimumque hominem perfregerunt Ioannes Brougthonus edito* Tractatu de natura animae rationalis; *itemque Menardus, Lesleyus, Aſſetbonus, aliique. Impii Cowardi ſententias amplexati ſunt Dodvellus* lib. de anim. naturaliter mortali; *& Hoebeiſenius, quem Bucherus refutavit. Nemo tamen in animum immitius ſaevit Delametrius in ſuo libello* Homo machina; *convictis enim undique Medicorum obſervationibus oſtendere, at* fru-

etiam, quod perceptio ſeu cogitatio a corpore, vel a corporeis affectionibus, nimirum a quantitate, extenſione, variiſque partibus, quibus corpus ipſum componitur, oriri certe non poteſt; cum cogitatio omnino ſimplex, partium omnium expers, & indiviſibilis eſſe concipiatur; proindeque temporis momento in nobis peragitur. Quae cum ita ſe habeant, ſi intimae corporis proprietates, & attributa ab iis diſſident, quae cogitationi intime, & neceſſario conveniunt; ergo ipſae quoque ſubſtantiae, ſcilicet animus, & corpus, ex quibus proprietates illae inter ſe contrariae dimanant, erunt prorſus diſſimiles, atque contrariae; adeoque animum humanum incorporeum, & ſpiritalem eſſe, fateamur oportet. Praeterea ſubſtantia, quae uno temporis articulo evolat in ſinum Dei, ſpirituum caetus perluſtrat, orbem univerſum pervadit, obiecta incorporea ſenſibus impervia percipit, ſcilicet virtutis honeſtatem, vitii turpitudinem, aequitatis, & iuſtitiae leges &c.; nihil aliud eſſe poteſt, quam ſpiritus. Quî enim intelligi poteſt, ſubſtantiam corpoream, atque inertem in ſpatia immenſa uno eodemque temporis momento transferri, ipſamque percipere res immateriales corporeis ſenſationibus nullo pacto obnoxias? Quapropter

fruſtra tamen conatus eſt, hominem eſſe machinam ſola materia conflatam. Pro animi tamen ſpiritualitate, atque immortalitate ex Anglis ſcripſere Clarkius, Millius, Chiſullius, aliique, quos videre eſt ap. Act. Lipſ. an. 1707. pag. 335.

cum cuilibet manifeſtiſſime pateat intimo conſcientiae teſtimonio, humanum animum dotibus ſuperius enunciatis praeditum eſſe; fieri certe non poteſt, quin ſit vere, proprieque ſpiritalis (1).

Quid autem dicemus de voluntatis actibus? An ii ſubſtantiae materiali ſunt tribuendi? An iuſtitia, fides, conſtantia, ceteraeque animi dotes a materia, quemadmodum reapſe a voluntate diliguntur? *Quid enim in Martyribus amamus?* ait S. Auguſtinus (2): *membra laniata a feris? Quid foedius, ſi oculos carnis interroges? Quid pulchrius, ſi oculos cordis interroges?* Et paullo inferius idem

---

(1) *At non ſolum ex immaterialium obiectorum, ſed ex materialium quoque perceptionibus animi ſpiritualitas deduci poteſt. Ita corporea perceptio, qua ſolem conſpicimus, illum nobis veluti bipalmarem exhibet; ſed alio tamen perceptionis genere illum veluti tellure longe maiorem eſſe intelligimus. Quare licet corporea ſolis perceptio ex corporeo ac mortali principio, nempe ex ſenſibus oriri poſſe dicatur; altera tamen cognitio, quae priori adverſatur, & obiectum ipſum nova, meliorique ratione nobis exhibet, ab alia nova, meliorique cauſſa, ſcilicet incorporeo principio derivari debet. Hinc ſequitur, duplex eſſe cognitionis genus admittendum, ut alia ſit* corporea, *alia vero* incorporea. *Prima ad corporea obiecta dirigitur, corporeis ideis & imaginibus peragitur, corporeis ſenſoriis acquiritur, cuius generis ſunt perceptiones illae, quae ſomni, infantiae, ebrietatis, vel amentiae tempore in hominibus producuntur. Altera vero ad incorporea obiecta dirigitur, ac nullius phantaſmatis ope, nullaque prorſus imagine, aut corporis ſenſu comparatur.*

(2) *Tract.* 3. *in Iohan.* 2. 21.

idem S. Doctor : *Vides ſenem curvum, baculo innitentem, vix ſe moventem, rugis undique exaratum : quid vides, quod oculos delectet? Audis, quia iuſtus eſt; amas, amplexeris*. Exinde autem infertur, mentem, & corpus in diverſo prorſus genere eſſe conſtituta, nec ſubſtantiam corpoream cogitationis, nec ſubſtantiam cogitantem extenſionis, vel figurae &c. eſſe participem.

Hinc refelli ſine negotio poterunt Epicuri, & Lockii ſententiae, quorum primus exiſtimavit, cognitionem omnem a tenuiſſimis ſolum, rotundiſque corpuſculis ortum ducere, animumque noſtrum ex levibus, mobilibuſque atomis conſtare; ut animus ipſe in ſano, ac vigente corpore eſſet ad inſtar vividae, tenuiſſimaeque flammae; in corpore autem effoeto, & iam languente evaneſcere deberet. Alter vero [1] animum quidem ſpiritalem eſſe non diffitetur, ſed ab infinita Dei ſapientia, atque virtute effici poſſe arbitratur, ut materia cogitare poſſit [2]. Unde eadem ſubſtantia iis conſlare-

 tur

(1) *De intell. human. lib. 4. cap. 3. §. 6.*

(2) *Iohannes Lockius licet animum humanum ſpiritalem eſſe non neget, aliquatenus tamen favet Materialiſtis, ut diſerte probat vir plane ſummus in rebus Metaphyſicis Ioannes Franciſcus Finetti Dominicanae Familiae Alumnus in ſuo egregio Opere* de Principiis Iuris Naturae, & Gentium T. 1. lib. 4. cap. 1. *Idem quoque fuſius, doctiſſimeque demonſtrat ineluctabilibus rationibus Scholaſtico more prolatis Thomas Cerboni Ordinis vel ipſe Praedicatorum in Collegio Urbano de Propaganda Fide Sacrae Theologiae Profeſſor in aureo ſuo Opere inſcripto* Theologia

tur proprietatibus, puta extenſione, ac perceptione, quarum altera alteram deſtrueret : atqui id intrinſecam repugnantiam, & contradictionem involvit ; ergo ne infinitae quidem divinae virtuti iſtiuſmodi effectus adſcribi poteſt ; nam Dei omnipotentia ad impoſſibile intrinſecum, & ad contradictoria non pertingit [1], ut in

gia Naturalis Tom. 1. lib. 2. pag. 199., *ubi ad incitas, ut ita dicam, Materialiſtas redigit, qui in ea ſunt opinione, nihil praeter* phyſicam ſenſibilitatem *in homine eſſe ; adeoque per eam, quae quid materiale eſt, atque a materia pendet, hominem intelligere, cogitare, ratiocinari, ſublimiores cognitiones aſſequi putant : ita cenſuit Spinoſa* par. 2. Eth. prop. 13. *&* cor. prop. 17. *; Hobbeſius* Phyſ. par. 2. cap. 25. num. 10. *;* Leviathanis part. 1. de homine cap. 3. *; Auctor Epiſtol. Philoſophic.* ep. 13. & 25. num. 53. *; Rouſſeau in opuſculo inſcripto* Sur l'inégalité des hommes edit. Amſtelod. 1755. *aliique ſane multi huius furfuris homines, quibus omnibus accenſendus etiam Voltaereus, qui tam contra animi ſpiritualitatem, quam contra immmortalitatem aperte pugnat tum tom. 6. Opp.* Lettre a Monſieur de Genoville pag. 240., *tum tom.* 9. de l'Ame, & des Idees pag. 58. & 91., *& alibi in ſuis exitialibus opuſculis.*

(1) *Sicuti enim nihil divinae virtuti derogatur, dum dicitur, numerum binarium, atque ternarium ſimul unitum ſenarium numerum conſtituere non poſſe ; ita pariter, quoniam materiam extenſam eſſe debere, diviſibilem, atque impenetrabilem, nihil autem horum in ſubſtantia cogitante contineri poſſe perſpectum habemus ; nihil divinae omnipotentiae derogatur, ſi materiae cogitationem tribui non poſſe affirmemus. Dei enim virtus haud minuitur, ſi per illam, quidquid repugnat, fieri non poſſe fateamur. Per hoc autem*

Digitized by Google

in prima Parte oſtendimus. Itaque perceptio a materia oriri certe non poteſt, ideoque animus, cui perceptiones ineſſe per intimum ſenſum novimus, incorporeus erit, ac ſpiritalis.

Quamvis cogitatio, ſubdunt Materialiſtae, quid materiale non ſit, in materia tamen ineſſe, ipſa experientia demonſtrat; ſicuti bruta cognoſcere, cogitare, atque ratiocinari, quotidiana experientia non ſinit, ut dubitemus: atqui bruta animam ſpiritalem habere, nemo dixerit; ergo animus humanus materialis eſſe poterit.

Num bruta cognoſcant, vel non, in utramque partem a ſapientiſſimis Philoſophis diſputatum eſſe, & modo etiam diſputari, Materialiſtae quoque debent concedere: ergo dubia adhuc res eſt, num bruta cognoſcant, vel non; ergo ad adſtruendam poſſibilitatem cogitationis in materia, inepte utuntur Materialiſtae argumento petito a brutorum cognitione. Nulla enim certitudo ei, quod dubium ſit, per aliud, quod aeque dubium fuerit, adiici poteſt; ergo licet dubium eſſet, num materia cogitare, vel non cogitare poſſet, ex brutorum tamen cognitione, de qua in utramque partem diſputatur, nihil certi de materiae cogitatione definitur: atqui materiam cogitare non poſſe, & ratio evidentiſſima oſtendit, & omnes Philoſophi ſapientiores propugnant; ergo

tem divinam omnipotentiam in noſtris ideis minime concludimus, ſed ei rationis lumini ſubiicimur, quod nobis Deus ipſe elargitus eſt; quo profecto abuteremur, ſi ideas evidenter contradictorias ſimul uniri poſſe affirmaremus.

Digitized by Google

go quum rem manifeſte falſam dubia, atque incerta confirmare Materialiſtae contendant; conſequens eſt, ut ſua agendi ratione deſperatae cauſſae patrocinium ſe ſuſcepiſſe patefaciant [1]. Et quamvis Materialiſtis demus, bruta cognoſcere; ea tamen vel cogitare, vel intelligere, vel ratiocinari, vel quidpiam aliud eorum facere negamus, propter quae animum ſpiritalem eſſe debere demonſtravimus. Complura brutorum opera admirabiliora quidem eſſe fateor, & quoad ſpeciem iis quoque praeclariora, quae ab homine peraguntur; uti ex conſtructione nidorum, quos aves ſuis pullis parare ſolent, ex favis ſolertiſſime conſtructis ab apibus, atque ex huiuſmodi aliis brutorum operibus paſſim conſtat: at quum animalia ab origine mundi nihil novi uſque modo invenerint, ſed unaquaeque eorum ſecundum ſuam ſpeciem conſtanter agant; quum quae ſunt viliora, & mi-

(1) *Illud advertendum eſſe cenſemus in hac quaeſtione, qua de brutorum cognitione diſputatur, locum praecipue eſſe illi effato, quo Materialiſtae ſaepe abutuntur, ſcilicet materiae proprietates nos latere. Nam varia, atque admiranda brutorum opera, qua potiſſimum ratione, quo modo, quo principio ſenſibilitatis, quove ordine, nexu, diſpoſitione, artificio, atque machinatione fiant, nemo unus aliquando aſſequetur. Ergo ſi per incognita non licet ea tollere, quae evidenter perſpecta ſunt; non eſt, cur ex principio cognitionis brutorum, quod licet ut certum admitteretur, maxima tamen ſui parte incognitum nobis ſemper manet; evidentiores metaphyſicas rationes, quibus materiam cogitare non poſſe patet, vel obſcurare, vel etiam evertere Materialiſtae conentur.*

minus virtutis ad agendum habent, uti araneae, formicae &c. prudentius, ac ſapientius ſe ſe gerere videantur; quum omnia ſenſibilibus tantum rebus abripiantur, eorumque induſtriam eo tendere videamus, ut ſolummodo fugiant, quae noxia ſenſibus, quae autem opportuna, conſectentur; quum ſingulae ſpecies ſuam peculiarem agendi rationem habeant, a qua ſi avertantur, in quamdam ſtupiditatem incidunt, aut non diutius eſſe perſeverant; quum demum libertatis, cognitionis ſublimiorum principiorum, honeſtatis, aequitatis, turpitudinis, atque certae rationis, quae vel per reflexionem, vel per inquiſitionem agat, nulla veſtigia in iiſdem occurrant; bruta neque cogitare, neque ratiocinari, neque aliquod horum agere poſſe, quae homini propria ſunt, evidenti argumento eſſe haec omnia debent (1).

DE

(1) *Hinc Origenes Celſum comparantem brutorum naturam cum natura hominum* lib. 4. contr. Celſum num. 87. *ita recte confutat:* Sed eſto, alia quoque remedia cognoſcant beſtiae; an inde conſequens eſt, non naturam eſſe, ſed rationem, quae beſtias illas docuerit? Nam inventrix eorum ſi fuiſſet ratio, non unum, aut, ſi vis, duo, aut tria inveniſſet in ſerpentibus, & aliud quid in aquila, ſicuti in aliis animantibus; ſed tot in eis inveniſſet, quot in hominibus invenit. Quum igitur ſingulis animantibus pro ſui cuiuſque natura remedia definite conceſſa fuerint; evidens eſt, illas nec ſapientia, nec ratione donatas fuiſſe, ſed naturali quadam erga eas res, quae ſaluti cuiuſque aptae ſunt, diſpoſitione, cuius Verbum auctor eſt. *Haec quoque alia, quae in eodem* lib. 4. num. 81.

Digitized by Google

C A P. III.

QUamquam ſolidiſſimum Fidei Catholicae fundamentum eſt, animum humanum non interire, ubi cor-

num. 81. contr. Celſum *praemiſerat*, *ſunt obſervanda*: Ex his liquet, illum ignoraſſe (*ideſt Celſum*) quid ſit diſcriminis inter rationis, ſolertiaeque opera, & ea, quae natura rationis experte, & ſimplici machinamentorum conſtructione fiunt. Quorum operum cauſſa non eſt ulla ratio, quae operantibus inſit..... Itaque apud homines multarum artium inventione, & legum conſtitutione conſtant urbes; & inter illos haec nomina, regimen, magiſtratus, imperium aut proprie ſignificant bonas animi affectiones, actionesque, aut iis abutuntur homines ad exprimendum quidquid ad earum, quoad fieri potuit, imitationem factum eſt. Illas enim prae oculis habebant optimi Legiſlatores, quum iuſtiſſimas leges tulerunt, magiſtratus crearunt, duces praefecerunt. Quorum nihil apud beſtias invenire eſt, tametſi Celſum formicis, & apibus accommodet urbis, regiminis, magiſtratus, & ducis nomina, quae rationem innuunt, & nonniſi ratione praeditis conveniunt. De iis nequaquam laudandae ſunt formicae, aut apes, quum haec ſine ratione faciant; ſed admirari oportet Divinitatem, quae etiam brutis animantibus quamdam quaſi imaginem rationis largita eſt, idque fortaſſe ad incutiendum hominibus pudorem, ut formicas intuiti & laborosiores fierent, & rerum ſibi utilium parciores; apes vero contemplati inde diſcerent & poteſtatibus parere; & in partem operum venire, quae ad Civita-

corporis carcere liberatur, ſed eſſe immortalem [1]; nihilo tamen minus cum in alienam meſſem falcem iniicere non liceat, ſola innixi ratione animi immortalitatem demonſtrabimus, atque ex innumeris ferme argumentis, quae a veteribus, recentioribuſque Philoſophis afferuntur, validiora contra Materialiſtas [2] ſeligemus, eaque

tatum conſervationem neceſſaria ſunt: *Quis itaque Rouſſeauium ferre poterit in opuſculo inſcripto*, Sur l'inégalité des hommes, *non ſolum effutientem nihil eſſe diſcriminis inter homines, & bruta quoad metaphyſica, & moralia principia, ſed etiam magis differre unum ab alio homine, puta imperitum a Philoſopho, quam brutum ab homine? Quis pariter Auctorem* Epiſtolarum Iudaicarum, *qui ſcribere non erubuit* Tom. 1. Epiſt. 30., *nonnulla bruta quibuſdam hominibus eſſe praeſtantiora? Apage ergo huiuſmodi Philoſophos, ſi tamen Philoſophi dici poſſunt, quum non ſapientiae, ſed errorum, exquiſitiorisque perverſitatis ſint ſtudioſi, qui & manifeſtis implicantur contradictionibus, & nihil minus, quam veram rationem ſequuntur, & in genus humanum pernicioſiſſimam peſtem inferre contendunt.*

(1) *Chriſtus Dominus Matth. c.* 10. Nolite, *inquit*, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. *Et Iohan. c.* 12. *v.* 25. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam aeternam cuſtodit eam.

(2) *Materialiſtae modo animam mortalem in ſe eſſe pronuntiant, quia ab ipſa materia non diſtinguitur; modo autem contendunt, nunquam probari poſſe, a Deo non eſſe deſtruendam. Ita fere ſentiunt Materialiſtae omnes, atque inter ceteros praeſertim Auctor Philoſophiae* du bon ſens T. 2. reflex. 4. §. 13., *Auctor* Epiſtolarum Philoſophicarum, *& alter* Iudaicarum Epiſtolarum *Auctor, ſicuti*

eaque omnia maiori, qua poterit, perſpicuitate proponere ſtudebimus. Haec tamen, quae ſequuntur, praenotanda occurrunt, priuſquam animi immortalitatem demonſtrandam aggrediamur. 1. Immortalitas definitur, *entis viventis perpetua duratio*: dicitur *entis viventis*, ſcilicet habentis in ſe cuiuſdam operationis principium; hinc licet aliquid materiae genus non vivens in aeternum eſſet duraturum, dici non deberet materia illa immortalis. 2. Immortalitas duplicis eſt generis, *abſoluta*, & *relativa*. *Abſoluta* ſive *intrinſeca* enti viventi convenit nullum in ſe, & ex natura ſuâ interitus principium habenti. *Relativa* ſeu *extrinſeca* enti illi viventi convenit, quod nequit ab alio ente extrinſeco deſtrui, & in nihilum redigi. Certum quidem eſt, ſolum Deum utraque praeditum eſſe immortalitate; & primo abſoluta,

cum

ti quoque Auctor impii libelli editi Poſtdami an. 1748., *& inſcripti* Diſcours ſur la vie heureuſe; *Helvetius in ſuo impio libello inſcripto* l' Eſprit; *Rouſſeau in opuſculo* Sur l' inégalité des hommes *edit. Amſtelodami* 1755., *aliique ſane multi huius farinae homines, qui nihil, niſi materiale in nobis eſſe blaterant. Nugantur autem ii noſtri temporis Increduli, qui animi immortalitatem tantummodo ob Divinam Revelationem admittendam eſſe affirmant; licet enim hoc dicant, Divinae tamen Revelationis nullam habent rationem, eaque probant principia, quibus deſtruitur animi humani immortalitas. Tales profecto ſunt Montagna, Evremondus, (ſicuti obſervatum a doctiſſimo P. Valſecchio recte fuit in celeberrimo Opere inſcripto* Dei fondamenti della Religione &c. lib. 1. cap. 5.) *atque etiam ſuperius memoratus Auctor Philoſophiae* du bon ſens, *quem proinde inter Materialiſtas recenſuimus*.

tum ita neceſſario exiſtat, ut a principio intrinſeco, puta a ſe ipſo deſtrui non poſſit: ſecundo relativa cum a nulla cauſſa extrinſeca poſſit interimi. Animus autem humanus, & quilibet creatus ſpiritus non habent immortalitatem relativam in *omni ſenſu*, ut aiunt; nam etſi animus humanus in nihilum redigi nequit ab ente creato, poteſt tamen deſtrui ab increato, nempe a Deo, qui cum illum infinita vi ſua ex nihilo procrearit, ita quoque in nihilum poteſt redigere. Animus ergo habet dumtaxat immortalitatem *abſolutam*, ſeu immortalis ſolum eſt *ab intrinſeco*; ut inquiunt Scholae; quoniam a principio intrinſeco, nimirum a ſe ipſo interimi nequit. Quibus omnibus praenotatis, tria haec, nempe primo animi noſtri *incorruptibilitas*; ſecundo *immortalitas* naturalis; tertio eius *aeternitas*, ſeu *futura* reipſa *aeterna duratio* diſtincte, ac ſeparatim probanda ſunt.

1. Animi incorruptibilitas ex eius ſpiritualitate deſumitur. Etenim ſi concedatur aliqua ſubſtantia incorporea, partium expers, indiviſibilis; admitti etiam debet, quod illa ſit incorruptibilis. Nam illud mori, & corrumpi dicitur [1], quod aliquibus conſtat partibus, quae divi-

(1) *Illud interimere, & corrumpi concipitur, ut in Phyſica oſtenditur, quod ita variari, & alterari poteſt, ut vetus illud eſſe, quod habebat, prorſus amittat, ac novum aliud eſſe a veteri prorſus diſtinctum recipiat; alioquin ſi vetus illa ſubſtantia in nihilum abiret, non* corruptio, *aut* mors, *ſed* annihilatio *vocatur, quae* creationis *inſtar a nulla finita vi, & a nulla creata cauſſa produci poteſt; ut alibi inferius oſtendemus.*

dividi, ſecerni, novoque prorſus ordine diſponi, ut exinde nova ſenſibilium affectionum congeries, adeoque nova ſubſtantia a veteri diſtincta producatur. Atqui in ſubſtantia incorporea nullae omnino partes, nulla diſpoſitio, unio, disiunctio effingi poteſt; ergo ipſa interitus, aut corruptionis incapax erit [1].

2. Animus, pereunte corpore, perire non debet. Nulla enim res ex eo corrumpi poteſt, unde perficitur; nam perfectio, & corruptio ſimpliciter opponuntur: ſed animus noſter per abſtractionem a corpore perficitur; ergo interire nullo pacto debet, eamdemque, ac corpus conditionem ſubire nequit. Quod autem animus humanus per abſtractionem a corpore perficiatur; ſcientia, atque virtute animus noſter perficitur: ſecundum ſcientiam quidem tanto magis perficitur, quanto magis a materiae commercio ſecreta ſunt, ac ſupra ipſa evehuntur, quae conſiderat: virtutis autem perfectio in eo conſiſtit, ut homo corporis affectibus haud obſequatur, ſed rationis imperio eiſdem obſiſtat; ergo ſi nulla res ex eo corrumpi poteſt, unde perficitur; animum humanum non perire, corrupto corpore, inde conſequitur [2].

Solidiſſimis hiſce argumentis, alterum a naturae legibus repetitum adnectendum eſt, nimirum ſi animus huma-

(1) *Licet brutorum anima ſpiritualis admittatur, non ideo erit & immortalis admittenda, ut animus humanus; etenim hic a corpore ſeiunctus Dei gloriae debet inſervire.*

(2) *D. Thom. lib. 2. contr. Gentiles cap. 79. n. 2.*

humanus mori unquam poſſet, amittere deberet illud eſſe, quod habet; ergo vel ipſe ſibi, vel alter hoc eſſe, quod habet, adimeret; atqui ipſe ſuum hoc eſſe adimere, nempe ſeipſum annihilare non valet, cum nulla creata virtus ens aliquod ex nihilo producere, vel in nihilum redigere poſſit, ut in prima Parte oſtendimus: neque alius creatus ſpiritus ipſum interimere poteſt, cum in alium agere, vel potenter adeo influere nequeat, ut animum perimere concipiatur; eo vel minus poterit corpus animum ipſum in nihilum redigere, cum corporeae affectiones omnes animi ſubſtantiam natura ſua ſpiritalem nunquam poſſint afficere; & corpus ſolummodo influat in ſubſtantiam partibus, & extenſione donatam, ideoque corpoream; inferri igitur neceſſe eſt, animum humanum, qui neque a ſe ipſo, neque ab alio creato ſpiritu, neque a corpore deſtrui poteſt, ex naturae legibus eſſe incorruptibilem.

Ergo luce meridiana clarius eſt, quod quum animus ſit *immaterialis*, adeoque ſimplex omnino, partes profecto habet nullas, quarum diſſolutione poſſit interire; quumque ſit *ſpiritalis*, circumiacentia corpora nihil in eius deſtructionem agere poſſunt: neque demum agens ullum creatum poteſt illum in nihilum redigere: quo tantum modo res ſimplex interire poſſe concipitur; ad hoc enim non minor virtus, quam ad creandum exigitur, ſcilicet infinita, ut in confeſſo eſt apud omnes. Itaque animum noſtrum ex iis, quae hactenus in medium attulimus argumenta, ſuapte natura incorruptibilem eſſe manifeſto patet.

Quod

Quod autem animus humanus ſit non ſolum natura ſua incorruptibilis, ut pluribus oſtendimus rationum momentis; ſed etiam *immortalis*, ita breviter demonſtrari poteſt. Vita animi humani in facultate cogitandi poſita eſt, quemadmodum vita animalis in ſe movendi facultate conſiſtit. Porro animus noſter non poteſt ſuapte natura cogitandi facultatem amittere, cum eſſen- cogitandi facultas ſit ſpiritalis naturae proprietas .atimis eius principiis neceſſario promanans; (immo a multos eſſentiam eius conſtituens; neque enim alia ratione poteſt concipi ſpiritus, niſi ut ens potis cogitare, & intelligere) idcirco a ſpiritali natura ſeparari nullatenus poteſt: quemadmodum a natura nulla, quamdiu integra ſubſiſtit, ſeparari valent ipſius naturales, & eſſentiales affectiones. Tam ergo certum eſt, animum humanum natura ſua vitam amittere non poſſe, quam certum eſt, eius entitatem ſuapte natura non poſſe diſſolvi, perire, aut in nihilum reverti. Eſt igitur animus noſter ex ſui natura *immortalis*.

Priuſquam ad aliud argumentum perpetuam animi durationem oſtendens gradum faciamus, illud praemittere neceſſe arbitramur, quod ſi de animi ſubſiſtentia, poſtquam a corpore ſeiunctus eſt, agatur, de ea certi non ſumus metaphyſica certitudine, quia divinitus fieri poteſt [1], ut ipſe deficiat, quamvis natura ſua deficere

---

(1) *Divinitus tantum evenire poſſet, ut animus deficeret, ſeu ſubſiſtere non pergeret; ex eo enim, quod ſolus Deus exi-*

re non poſſit. Cum etenim ſolus Deus neceſſario exiſtat, reliqua in nihilum redigi poſſe manifeſtum eſt, quamvis certitudine phyſica certi ſimus, animum humanum non poſſe deſtrui, nec interire, poſtquam a corpore ſeiunctus ſit; idque probatur ſequenti argumento.

Mens humana deterioris non eſt conditionis, quam alia inferioris ordinis ſubſtantia, nempe corpus, aut corporis pars. At corpus a mente relictum, ſicut pars corporis a ſua comparte ſeparata ſubſiſtere poſtulat; & certitudine metaphyſica conſtat, rem creatam per ſeipſam deficere non poſſe, ſed tantum ſi Deus concurſum ſuum ad exiſtendum ipſi ſubduxerit: Deus vero hunc concurſum non ſubducit uni parti, pereunte altera, a qua mini-

exiſtat neceſſario, cetera vero contingenter, & quatenus exiſtentiam a Deo accipiunt; liquido conſtat, quod ſi Deus unico vel momento influxum ſuum ſubduceret, ea in nihilum redigerentur. Sed cum Deus ordinem hunc in creatis rebus conſtituerit, ut quas ex nihilo ſemel eduxit, eas perpetuo conſervet; eo manente ordine, fieri certe non poteſt, ut animus a corpore ſegregatus pereat; alioquin (quod concedi nullo pacto poteſt) deterioris eſſet conditionis, quam alia inferioris ordinis ſubſtantia, puta corpus, quod a Deo conſervari exploratum habemus certitudine phyſica; ſicuti certum eſt ex. cauſſ. ramum a trunco avulſum, combuſto etiam trunco, aut in pulverem comminuto remanere debere. Itaque Deus animo ſeiuncto a corpore concurſum non denegat ad ſubſiſtendum, ſed tam animum, quam corpus conſervat; hoc tamen diſcrimine, quod corpus, utpote ex partibus conſtans, varias ſubit mutationes; animus autem, utpote partium expers, integer ſemper manet, & incorruptus.

Digitized by Google

minime pendet : ergo animus humanus a corpore ſeiunctus ſubſiſtit, neque ullo pacto deſtrui, vel interire poteſt. Eatenus ergo certi dumtaxat eſſe poſſumus, animum noſtrum reipſa *aeternum* fore, quatenus certi eſſe poſſumus, Deum per totam aeternitatem animum humanum conſervare libere decreviſſe. At hoc certum ne eſt? Nos quidem affirmamus, idque etiam ſecluſa Revelatione Divina [1], eo quod tot, & talia ſuppetunt a ratione ipſa argumenta, ut nemo hac de re dubitare, niſi imprudentiſſime poſſit : quod profecto ad veram habendam huius rei certitudinem ſatis eſt ; certum enim illud recte dicitur, de quo nonniſi imprudenter poteſt dubitari [2] ; habet ſiquidem eam omnem fir-

(1) *Errant, qui abſolute, & indiſcriminatim pronuntiant, ea, quae pendent a voluntate divina, ſola Revelatione a nobis poſſe cognoſci. Quum enim Dei voluntas ſemper conformis ſit eius ſapientiae, aliiſque attributis ; ex horum conſideratione conicere, atque etiam quandoque valide arguere valemus, plura Deum velle, quae ſe velle diſerte non revelavit : quamquam & illa revelaſſe eatenus dici poteſt, quatenus nobis ratione donatis ſuppeditavit aliqua ex ſuis effectibus, & ex ſua agendi ratione argumenta, quibus voluntatem ipſius detegere poſſumus in pleriſque. Inter quae recenſenda eſt animi noſtri aeternitas.*

(2) *Certitudo haec, quam* rationis *ipſe voco*, (moralem *fortaſſe alii dixerint*) *quoad firmitatem in eo ſolum a certitudine* metaphyſica, *&* mathematica *differre mihi videtur, quod ea actualem exigat rectum rationis uſum, proindeque inſurgente quadam animi perturbatione ei adverſa veritati, vacillare poteſt, ſeu mente ita turbata, non*

firmitatem, quam poteſt ratio conciliare, quum admiſſo rectae rationis uſu, in dubium revocari nequeat. Iam vero hac rationis certitudine gaudere futuram animi noſtri perpetuitatem ex eo vel maxime conſtat, quod ſupremum deceat Opificem, ut quae fecit opera, iuxta cuiuslibet conditionem atque naturam conſervet, quum ſciens, & prudens talis ea naturae condiderit. Quoniam igitur animus noſter ſuapte natura minime eſt corruptioni, diſſolutioni, aut morti obnoxius, ipſum perpetuo a Deo fore conſervandum cenſendum eſt, praeſertim cum nemo dubitet, minimas, inſectileſque materiae particulas aeternum duraturas. Inſuper annihilatio rei exiſtentis non minus proprius eſt Divinae Omnipotentiae effectus, quam rei non exiſtentis creatio. Sicuti ergo aſſereret quis imprudentiſſime, novam quamdam in morte noſtra, vel quocumque deinde tempore ſubſtantiam creandam a Deo eſſe; ita nonniſi ſumma temeritate aſſeri poteſt, atque contendi, ſubſtantiam utique & quidem ſpiritalem, ſcilicet animum noſtrum in morte, vel aliquando poſtea in nihilum a Deo fore redigendum, praeſertim vero cum nihil in tota rerum univerſitate fit, quod arguat, Deum ad annihilandum eſſe propenſum; omnia

 autem

non ſatis percipi, atque diſcerni: quod in demonſtrationibus metaphyſicis, *ac* mathematicis *vix poteſt contingere, eo quod in iis pravi affectus non ſolent rationis uſum turbare, atque adeo non obſtant, quominus mens in eis plane defixa ipſarum certitudinem, ac neceſſitatem accurate percipiat, eiſque immobiliter adhaereat.*

autem inſinuent, illum eſſe Creatorem, atque Conſervatorem. Tertio tandem Deus animum humanum, ut cetera omnia procul dubio ad gloriam ſuam creavit, quae in eo praecipue ſita eſt, quod ab ipſo cognoſcatur, & ametur. Ut igitur eumdem ſapienter poſſet in nihilum redigere, oporteret, ut maiorem ex ipſius annihilatione, quam ex eius conſervatione gloriam eſſet hauſturus : quod eſt evidenter falſum ; quae enim illi ex nihilo gloria provenire unquam poteſt ? ut ſemper poteſt, quamdiu animus in ſuo eſſe perſeverat. Eſt igitur animi annihilatio contra Dei ſapientiam [1] : inde cenſendum eſt, nunquam reapſe futuram.

Poſtremo ut multa alia argumenta praeteream ; animum humanum eſſe immortalem, ſeu aliam ſupereſſe vitam, univerſalis ſemper fuit, & eſt etiamnum cunctarum gentium, omniumque nationum perſuaſio. Gentes omnes barbaraeque nationes Chaldaei nempe, Indi, Aegyptii, Caſci *antiquiſſimi* ab Ennio appellati, Magi,

Ara-

(1) *Corpus humanum moritur quidem, ſed non redigitur in nihilum ; perſeverat enim eius materia, quae temporis progreſſu varias induit formas, ſicque quidpiam adhuc ad univerſi pulcritudinem, adeoque ad Dei gloriam confert. At animus in nihil redactus Dei gloriae minime inſerviret ; unde eius annihilatio omnino abſurda putanda eſt, & eo magis, quod certum eſt apud omnes Philoſophos, ne atomum quidem a conditione mundi huc uſque eſſe in nihilum redactam : qua igitur ratione dici poteſt, animorum myriadas in nihilum redactas eſſe, aut poſtmodum ſore redigendas?*

Arabes in hac animi noſtri immortalitate adſtruenda conſpirarunt, ut graviſſimi teſtantur auctores. In comperto pariter eſt, nobiliores Graeciae Philoſophos ingenii doctrinaeque gloria commendatos, Thaletem Mileſium, Phoerecidem Syrum, eiuſque diſcipulum Pythagoram, Socratem, Theophraſtum, Senecam, alioſque animi immortalitatem certam, exploratamque ita habuiſſe, ut Plato lib. 12. de Legibus ſcripſerit: *Revera unuſquiſque noſtrum ſecundum animam eſt immortalis;* & paullo inferius: *Myſteria haec de immortalitate animae adamantinis rationibus probata ſunt*. Mitto hac in re Homeri, Orphei, Pindari, Euripidis, Anacreontis, aliorumque Graecorum, ac Latinorum (1) Poetarum teſtimonia, de quibus ipſe Plato narrat: *Quicumque Poetarum divini ſunt homines, tradunt, animam eſſe immortalem*. Unde Oratorum Principis verbis eſt concludendum: *Maximum argumen-*

 tum

(1) *Lucretius ſane unus ex iis fuit, qui contra animi immortalitatem pugnavit; attamen & ipſe quoque vel interno conſcientiae teſtimonio, vel ipſa convictus evidentia, oblitus eorum, quae tanta contentione tradiderat, non unum eumdemque tum animi, tum corporis interitum eſſe pronuntiavit*. Idem Lucretius, *inquit Lactantius Divin. Inſtitut. lib. 7. cap.* 12., oblitus quid affereret, & quod dogma defenderet, hos verſus poſuit, *lib. 2. v. 998.*

Cedit item retro de terra quod fuit ante
In terram; ſed quod miſſum eſt ex aetheris oris,
Id rurſus caeli fulgentia templa receptant.

Quod eius non erat dicere, qui perire animas cum corporibus differebat; ſed victus eſt veritate, & imprudenti ratio vera ſurrepſit.

tum eſt, naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam indicare, quod omnibus curae ſunt, & maxime quidem quae poſt mortem futura ſint. Deinde memoratis iis, quae a viris cordatis futurae vitae gratia geruntur, qualia ſunt, arbores ſerere, adoptare liberos, ſepulchrorum monumenta extruere, vitam pro patria offerre, haec ſubdit: *Quod ſi omnium conſenſus naturae vox eſt, omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt eſſe aliquid, quod ad eos pertineat, qui e vita ceſſerint; nobis quoque ita exiſtimandum eſt.* Hanc pariter ſententiam idem Tullius confirmat lib. de *Somn. Scip.*, ex quo quidem opuſculo plane divino ſumſere Philoſophi omnes, qui de animi immortalitate poſtea ſcripſerunt: *Sicuti ſatis probatur*, ait Cicero, *Deum eſſe, quia nulla natio tam fera eſt, quin Deum habendum ſciat; ita apud omnes gentes communi conſenſu firmatum eſt, animos defunctorum interitu eſſe liberos, quam omnino rem funeris caeremoniis teſtatam eſſe voluerunt. Nec enim eas corporibus impartirent, niſi animos ſacros eſſe ac divinos in animum induxiſſent.*

Ad aliud non minoris plane ponderis morale argumentum proponendum accedamus. Negari certe non poteſt, huic univerſo, tanquam Reipublicae bene conſtitutae, ſummum aliquem praeeſſe debere gubernatorem, a quo ſingula regantur, quique iuſtas criminibus poenas, debitamque virtuti mercedem rependat: at id fieri nequit, niſi animus humanus poſt corporis interitum ſit ſuperſtes; hic enim inſontes ſaepius conſpicimus indigere, & opprimi; improbos autem proſperam

vitam

vitam ducere, deliciiſque affluere; ergo ut aequabilis illa, & accurata Dei iuſtitia ſplendeſcat, perennis alter vitae ſtatus poſt hominis mortem erit admittendus, in quo iuſti praemiis, ſceleſtique poena afficiantur.

Non defuère tamen liberioris ingenii viri, humanae felicitatis, legum omnium, honeſtatis, omniſque Religionis hoſtes infenſiſſimi Epicurus, impiique eius gregales Leucippus, Democritus, aliique complures, qui humanos animos mortales, unaque cum corpore interituros ſunt opinati. Porro inter omnes Graecos, Latinosve, qui execrandam hanc Epicuri doctrinam de animi mortalitate amplexati fuere, celebres quam maxime ſunt Lucretius, & Plinius ſenior, quorum primus non contentus ſe peſſime cum Epicuro de animi natura ſentire, conatus eſt, fruſtra tamen, animum ipſum mortalem eſſe, duodetriginta argumentis oſtendere, ut videre eſt in libro tertio *de Rerum natura* incipiendo a verſu 418. uſque ad verſum 842. Alter vero tanta mordacitate contra animi immortalitatem ſcripſit [1], ut pudeat prorſus hoc loco illius verba referre. Praecipua Epicureorum argumenta in medium afferentes pro virili parte iis ſatisfacere curabimus, eaque refellere contendemus. Ac primo quidem afferunt Epicurei, animum cum corpore, aut in corpore oriri, ideoque cum ipſo interire. Secundo autem reponunt, ipſum a Deo creatum eſſe propter corpus dumtaxat, ſolutoque cor-

(1) *Lib. 7. Naturalis Hiſt. c. 55.*

corpore, ad quod informandum conditus erat animus, mori debere. Tertio quoque loco adſtruunt, quod cum mens creſcat in pueris, vigeat in iuvenibus, deficiat in ſenibus, in corpore ſano ſit ſana, aegrotet in aegro, in temulento turbetur, omnibuſque corporis mutationibus ſit obnoxia; adeoque cum tanta inter corpus ipſum, & animum connexio, ac dependentia reperiatur, animus ipſe corporeus erit, proindeque corporis inſtar corruptibilis, & mortalis haberi, unaque cum corpore perire debebit.

At haec facile dirimi, refellique poſſunt argumenta. Ad primum ergo dicendum, quod licet animus cum corpore, ſeu in corpore oriatur [1], eſt tamen ſubſtantia a corpore diſtincta, & diverſae penitus ab eo rationis, & naturae; ergo ſoluto etiam corpore ſubſiſtit. Secundo falſum quidem eſt, ſpiritum propter corpus dumtaxat, ſcilicet ſubſtantiam nobiliorem pro-

pter

(1) *Animus, uti recte obſervat D. Gregorius Nyſſenus* in Serm. 1. de Anima, *non eſt in corpore*, ut in vaſe, aut utre, ſed corpus potius in ea; quum enim a corporibus non impediantur intelligibilia, verum per totum corpus abeant, & libere ſpatientur, fieri non poteſt, ut a corporalibus detineantur ..... Quando igitur in corpore dicitur eſſe, non ut in loco eſſe dicitur in corpore, ſed ut in ſitu, habitudine, & momento, ac diſpoſitione ad aliquid colligari dicimus a corpore animam .... Quippe quum magnitudinis, & molis, & partium expers ſit, praeſtantior eſt omni deſcriptione per partes locali. Etenim quod partes non habet, quonam poteſt loco circumſcribi?

pter ignobiliorem creatam eſſe; ſed ipſam Deus creavit propter ſemetipſum. Unde animus humanus utpote ad Dei ſimilitudinem efformatus, & propter ipſum conditus non omni ſuo munere, cum corpus interit, functus eſt, ſed Dei gloriae inſervire ille debet, adeoque ſoluto corpore ſuperſtes erit [1]. Ad tertium denique reſpondendum, quod mens creſcit in pueris, viget

in

(1) *Nec dicant adverſarii, illud habere finem, quod habet initium, ideoque animum perire debere; nam reſponderi facile poteſt, iiſquè concedi, illud ſolum habere finem, quod habet initium* per generationem, *ut animal, arbor, aliudve corporeum; negamus tamen, finem habere, quod habet initium* per creationem. *Quare cum mens humana initium habeat* per creationem, *non* per generationem, *finem non habet. Praeterquamquod ſi materia, quae creata eſt, ſemper exiſtere pergit, nec ad nihilum redigitur, niſi Deus concurſum ſuum ad exiſtendum ipſi ſubducat; a fortiori animus humanus multo melior, perfectiorque ſubſtantia per ſolum Dei concurſum ſubſiſtere poteſt. Et quamvis ex Apoſtolo* 1. ad Timoth. *colligatur, ſolum Deum eſſe immortalem; id tamen intelligendum eſt de immortalitate* neceſſaria, *nimirum quod ſolus Deus habet immortalitatem a ſeipſo, quia ſolus eſt increatus, & in ſeipſo ſumme perfectus, nulloque indiget conſervatore: animus vero humanus immortalitatem participat, non quod eam ſibi ipſi conceſſerit, ſed quod a Deo acceperit, a quo indiget conſervari, ut aeternus exiſtat. Quod autem dicitur in ſexta Synodo Oecumenica, animum* non natura, ſed gratia Dei eſſe immortalem, *intelligi debet, animum immortalitatem habere Deo volente, & conſervante, quae conſervatio eſt indebita naturae, & ex ſola gratia Divina.*

in iuvenibus non propter ſeipſam, ſuamque naturam, ſed propter maximam, quam habet cum corpore affinitatem, & connexionem; etenim Deus hanc legem corpus inter, & mentem ſancivit, ut nullae ferme ſint animi cogitationes, quas ſtatim non ſequantur nonnulli ſpirituum motus in organis corporeis; & viciſſim. Hinc quo explicatiora fiunt organa illa, & quo liberior eſt ſpirituum motus, creſcere aut vigere videtur mens ipſa, quod facilius; & promptius, immo vero fortius ad cogitandum determinetur. Contra vero cum deficiunt (1), aut turbantur ſpiritus, turbari quoque ob eam-

(1) *Nullum admirationi locum eſſe debere ex eo, quod animus, licet immortalis ille ſit, cum membris corporeis quandoque deficere videatur, ita perbelle explicat S. Gregorius Nyſſenus* de Hominis Opificio cap. 12. Eſt omnino totum corpus humanum inſtar muſici inſtrumenti fabricatum. Solet autem nonnunquam uſuvenire, ut canendi quidem aliquis peritus ſit, verum artis ſuae inſtrumentis vitiatis documentum idoneum edere nequeat. Ea enim forte vel a tempore vitiata, vel contracta per ruinam, vel a rubigine, ac ſitu inepta reddita, ſono carent, nullumque ad uſum idonea ſunt, etiamſi vel ab eximio tibicine inflentur. Sic ſe mens per univerſum ſuum organum dividens, & applicans ſe ratione conſentanea membris ſingulis per facultates naturae ſuae convenientes, in iis, quae recte habent ſecundum naturam, vim ſuam exercet: in ceteris, quae artificioſum ipſius motum per imbecillitatem capere nequeunt, iacet, atque otioſa eſt. Eſt enim hoc menti peculiare, ut in membris natura-

eamdem rationem, vel deficere videtur cogitatio. Quapropter in lethargo, phreneſi, & ebrietate non mens ipſa, ſed cerebrum laborat, quod eſt mentis inſtrumentum. Seiuncto autem animo a corpore, nullis ipſe corporis motibus agitatur, ſed idem, eodemque permanet ſtatu; unde colligi nequit, ipſum ſoluto corpore interire, cum a corpore ad ſubſiſtendum non pendeat.

5 Verum ut liberaliter etiam agamus cum Epicuro, Lucretio, ceteriſque male feriatis hominibus, licet ſingula eorum argumenta tanti eſſent momenti, ut incertos nos redderent, an animus humanus ſit immortalis; ipſum tamen rationis lumen, & humanae prudentiae leges impellerent ad illum immortalem credendum: nam ſi forte fallantur, qui animi immortalitatem ſibi perſuadent, alteram perennem vitam expectant, ſuamque vivendi rationem eius intuitu componunt; exiguum, ac breve commodum amitterent, nimirum eam voluptatem humanis etiam legibus, & ſocietatis officiis vetitam: ſed ſi non fallantur, aeternam ſibi beatitatem comparaſſent.

Contra vero, qui animos morti obnoxios exiſtimaſſent, & falſae huius hypotheſis praeſidio omnem futuri praemii ſpem, ac poenae formidinem abiicientes, corporeis voluptatibus, caduciſque bonis fruendis ſe dediſſent, breve, ac leviſſimum certe commodum adepti eſſent: verum ſi in hac ipſa opinione hallucinati fuerint,

ra bene affectis efficacitatem ſuam obtineat, ea vero, quae depravata ſunt, averſetur.

tint, ipſorum prorſus deploranda eſſet conditio ; dementiſſimi eſſent habendi ; quod in apertiſſimum diſcrimen ſuam adduxiſſent ſalutem , & infiniti mali , aeternaeque poenae periculo ſeſe expoſuiſſent. Cum autem humanae prudentiae leges ; & ipſa naturalis ratio nos doceat, ut ex duabus opinionibus ea ſemper eligatur, in qua levioris damni formido , & maioris boni ſpes affulgeat ; illa vero deſeratur, in qua leviſſimi commodi ſpes, & maximi detrimenti metus imminet : puriori igitur rationis lumine, & prudentiae legibus impellimur, ut animos immortales eſſe credamus ; quamvis argumenta illa, quibus adverſarii nos urgent, talis eſſent momenti ; ut ambiguos in hac parte , incertoſque nos redderent. Huiuſmodi morale inviĉtiſſimi roboris argumentum ex eo ductum periculo, in quod ſe conjiciunt ii , qui eo dementiae pervenerunt , ut non modo religionem omnem abiecerint, ſed ipſi naturae interius , exteriuſque pulſanti pervicaci animo reſiſtant , ſuum habet auctorem ſublimiſſimi ingenii, & ſummae pietatis virum Blaſium Paſchalem Claromontanum in eximiis illis *Cogitatis*, quae ad opus, quod de oſtendenda Chriſti Religione meditabatur, comparaverat. Denique ut omnia breviter complectamur ; quae de animi humani immortalitate dicta ſunt , Tullii verba adhibebimus, qui haec habet [1] : *Cum ſimplex animi natura ſit, neque habeat in ſe quidquam admixtum diſpar ſui, atque diſſimile ; non poteſt*

(1) *Lib. de Seneƈt. cap.* 21.

teſt ea dividi : quod ſi non poſſit, non poteſt interire. Quid multa? Sic mibi perſuaſi, ſic ſentio. Cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria praeteritorum, futurorum providentia, tot artes, tantae ſcientiae, tot inventa; non poſſe eam naturam, quae res eas continet, eſſe mortalem exploratum eſt : quae quidem cogitans ſoleo ſaepe mirari nonnullorum inſolentiam philoſophorum.

DE HUMANO INTELLECTU, ET IDEIS.

CAP. IV.

Cum ſingulas animi potentias, & facultates hic ordine complecti neceſſe ſit, tres nobis occurrunt, *intellectus* nimirum, *voluntas*, atque *memoria*, quae quidem omnes (1) Divi Auguſtini ſententia, & Philoſophorum omnium iudicio adverſus Thomiſtas non ſunt a mente diſtinctae. Etenim cum mens humana per ſe cogitet, cogitare autem nihil aliud ſit, quam intelligere, & velle; mens igitur non eſt a ſuis facultatibus diſtinguenda : quapropter idem Sanctus Doctor (2) ait : Me-

(1) *Has facultates ab ipſa mente reapſe diſtinctas negant omnes Philoſophi contra Thomiſtas. Et merito quidem. Etenim nihil nos cogit huiuſmodi facultates a mente ſecernere, cum mens ſola citra realem illam diſtinctionem, intellectus, & voluntatis muneribus fungi poſſit; nam mens per ſe cogitat; cogitare autem eſt intelligere, & velle.*

(2) *Lib.* 10. *de Trinit. cap.* 11.

Memoria, *intelligentia*, *&* *voluntas ſunt una mens*. Nobis itaque a prima animi facultate, qua mens humana ad verum, veluti ad obiectum dirigitur, exordium ducentibus, definiri ſolet intellectus *mentis facultas ens omne*, *&* *modum entis percipiens*; proindeque innumera perceptionum genera tanquam peculiares, ſibique convenientes actus producens. Imagines vero illas, in quibus animus rem perceptam contemplatur, *ideas* vocamus, quarum ope incorporei obiecti perceptio in nobis peragitur. Quomodo autem humana mens eiuſmodi obiectum percipiat, arduum omnino, atque operoſum eſt definire; doctique omnes tanta ſunt in varietate, ac diſſenſione conſtituti, ut illorum vel moleſtum ſit numerare ſententias [1]. Duo tamen ſunt praecipua circa id Philoſophorum placita, quorum primum eſt Peripateticorum, ſeu Scholaſticorum; alterum Platonicorum, & Carteſianorum. Primo itaque Ariſtoteles Peripateticae Sectae Coryphaeus in ea fuit ſententia, ut intel-

(1) *Epicurei*, *qui nihil omnino in rerum natura praeter* inane, *&* atomos *extare falſo ſibi perſuadent*, *incorporeas cognitiones*, *imagineſque tollunt*, *&* *a materia cogitationem profluere*, *imaginibuſque*, *ſpectris*, *idolis quibuſdam corporeis contineri autumant*. *Arabes quidam*, *&* *Mauri*, *ut narrat Picus* tom. 1. pag. 50. *cenſent*, habere mentem apud ſe rerum ſpecies, *quae a rebus extrinſecis excitentur tantum*, *non tamen progignantur*. *Albertus Magnus non negat ſpecies menti congenitas*, *licet iis aut nunquam*, *aut raro uti*, *dum in corpore eſt*, *doceat*, *ut idem Picus* pag. 42. *adſtruit*.

intellectus tabulae raſilis inſtar ſit habendus, cui nulla prorſus imago, aut rerum idea depicta, vel impreſſa fuerit. Ubi vero intellectus ipſe corporea contemplatur phantaſmata, quae ſenſibus ſint excepta, ac cerebro impreſſa, ea incorporea quadam, puriorique luce perfundit, a corporeis affectionibus ita ſeparat, & abſtrahit, ut exinde incorporea quaedam ſpecies efformetur, quae ab intellectu cognoſci, & incorporeum obiectum exprimere valeat [1]. Hinc Peripatetici duplicem diſtinxere intellectum, *agentem* nempe, qui vi ſua incorpoream ſpeciem abſtrahat, & efformet; atque *patientem*, qui ſpeciem ſic efformatam recipiat. Eadem ferme ſenſerunt Gaſſendus, & Lockius; hic tamen incorporeas illas imagines non a corporeis phantaſmatis abſtrahi, ſed ab animo formari opinatus eſt, dum corporeis imaginibus ipſe percellitur, meditatione, coniectura, differendique viribus; quibus omnibus novas, ſenſimque puriores ideas a mente ſibi procudi exiſtimavit.

Pla-

(1) *Duos proinde poſuit intellectus*, agentem *ſcilicet*, *&* patientem: *agens, qui facit omnia intelligibilia; patiens, quo fiunt omnia intellecta. Ita enim ille loqui amat.* (Legat. Corſin. Metaph. pag. 147. 148. & 152.) *Hic autem obſervandum, vocem graecam, qua utitur Ariſtoteles eo loci, mentem ipſam, ſeu animum rationalem exprimere, non vero intellectum, mentis ipſius facultatem. In quo quidem ſenſu nihil vetat, quominus mens dici poſſit agens ſimul, & patiens: agens enim eſſet, quatenus ſe ad agendum determinaret, &* voluntas *diceretur; patiens vero, quatenus intelligeret, &* intellectus *vocaretur.*

tum eſt, naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curae ſunt, & maxime quidem quae poſt mortem futura ſint. Deinde memoratis iis, quae a viris cordatis futurae vitae gratia geruntur, qualia ſunt, arbores ſerere, adoptare liberos, ſepulchrorum monumenta extruere, vitam pro patria offerre, haec ſubdit: *Quod ſi omnium conſenſus naturae vox eſt, omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt eſſe aliquid, quod ad eos pertineat, qui e vita ceſſerint; nobis quoque ita exiſtimandum eſt*. Hanc pariter ſententiam idem Tullius confirmat lib. de *Somn. Scip.*, ex quo quidem opuſculo plane divino ſumſere Philoſophi omnes, qui de animi immortalitate poſtea ſcripſerunt: *Sicuti ſatis probatur*, ait Cicero, *Deum eſſe, quia nulla natio tam fera eſt, quin Deum habendum ſciat; ita apud omnes gentes communi conſenſu firmatum eſt, animos defunctorum interitu eſſe liberos, quam omnino rem funeris caeremoniis teſtatam eſſe voluerunt. Nec enim eas corporibus impartirent, niſi animos ſacros eſſe ac divinos in animum induxiſſent*.

Ad aliud non minoris plane ponderis morale argumentum proponendum accedamus. Negari certe non poteſt, huic univerſo, tanquam Reipublicae bene conſtitutae, ſummum aliquem praeeſſe debere gubernatorem, a quo ſingula regantur, quique iuſtas criminibus poenas, debitamque virtuti mercedem rependat: at id fieri nequit, niſi animus humanus poſt corporis interitum ſit ſuperſtes; hic enim inſontes ſaepius conſpicimus indigere, & opprimi; improbos autem proſperam

vitam

vitam ducere, deliciiſque affluere ; ergo ut aequabilis illa, & accurata Dei iuſtitia ſplendeſcat, perennis alter vitae ſtatus poſt hominis mortem erit admittendus, in quo iuſti praemiis, ſceleſtique poena afficiantur.

Non defuere tamen liberioris ingenii viri, humanae felicitatis, legum omnium, honeſtatis, omniſque Religionis hoſtes infenſiſſimi Epicurus, impiique eius gregales Leucippus, Democritus, aliique complures, qui humanos animos mortales; unaque cum corpore interituros ſunt opinati. Porro inter omnes Graecos, Latinoſve, qui execrandam hanc Epicuri doctrinam de animi mortalitate amplexati fuere, celebres quam maxime ſunt Lucretius, & Plinius ſenior, quorum primus non contentus ſe peſſime cum Epicuro de animi natura ſentire, conatus eſt, fruſtra tamen, animum ipſum mortalem eſſe, duodetriginta argumentis oſtendere, ut videre eſt in libro tertio *de Rerum natura* incipiendo a verſu 418. uſque ad verſum 842. Alter vero tanta mordacitate contra animi immortalitatem ſcripſit [1], ut pudeat prorſus hoc loco illius verba referre. Praecipua Epicureorum argumenta in medium afferentes pro virili parte iis ſatisfacere curabimus, eaque refellere contendemus. Ac primo quidem aſſerunt Epicurei, animum cum corpore, aut in corpore oriri, ideoque cum ipſo interire. Secundo autem reponunt, ipſum a Deo creatum eſſe propter corpus dumtaxat, ſolutoque cor-

(1) *Lib. 7. Naturalis Hiſt. c. 55.*

corpore, ad quod informandum conditus erat animus, mori debere. Tertio quoque loco adſtruunt, quod cum mens creſcat in pueris, vigeat in iuvenibus, deficiat in ſenibus, in corpore ſano ſit ſana, aegrotet in aegro, in temulento turbetur, omnibuſque corporis mutationibus ſit obnoxia; adeoque cum tanta inter corpus ipſum, & animum connexio, ac dependentia reperiatur, animus ipſe corporeus erit, proindeque corporis inſtar corruptibilis, & mortalis haberi, unaque cum corpore perire debebit.

At haec facile dirimi, refellique poſſunt argumenta. Ad primum ergo dicendum, quod licet animus cum corpore, ſeu in corpore oriatur (1), eſt tamen ſubſtantia a corpore diſtincta, & diverſae penitus ab eo rationis, & naturae; ergo ſoluto etiam corpore ſubſiſtit. Secundo falſum quidem eſt, ſpiritum propter corpus dumtaxat, ſcilicet ſubſtantiam nobiliorem propter

(1) *Animus, uti recte obſervat D. Gregorius Nyſſenus* in Serm. 1. de Anima, *non eſt in corpore*, ut in vaſe, aut utre, ſed corpus potius in ea; quum enim a corporibus non impediantur intelligibilia, verum per totum corpus abeant, & libere ſpatientur, fieri non poteſt, ut a corporalibus detineantur ..... Quando igitur in corpore dicitur eſſe, non ut in loco eſſe dicitur in corpore, ſed ut in ſitu, habitudine, & momento, ac diſpoſitione ad aliquid colligari dicimus a corpore animam .... Quippe quum magnitudinis, & molis, & partium expers ſit, praeſtantior eſt omni deſcriptione per partes locali. Etenim quod partes non habet, quonam poteſt loco circumſcribi?

Digitized by Google

pter ignobiliorem creatam eſſe, ſed ipſam Deus creavit propter ſemetipſum. Unde animus humanus utpote ad Dei ſimilitudinem efformatus, & propter ipſum conditus non omni ſuo munere, cum corpus interit, functus eſt, ſed Dei gloriae inſervire ille debet, adeoque ſoluto corpore ſuperſtes erit [1]. Ad tertium denique reſpondendum, quod mens creſcit in pueris, viget in

(1) *Nec dicant adverſarii, illud habere finem, quod habet initium, ideoque animum perire debere; nam reſponderi facile poteſt, iiſquè concedi, illud ſolum habere finem, quod habet initium* per generationem, *ut animal, arbor, aliudve corporeum; negamus tamen, finem habere, quod habet initium* per creationem. *Quare cum mens humana initium habeat* per creationem, *non* per generationem, *finem non habet. Praeterquamquod ſi materia, quae creata eſt, ſemper exiſtere pergit, nec ad nihilum redigitur, niſi Deus concurſum ſuum ad exiſtendum ipſi ſubducat; a fortiori animus humanus multo melior, perfectiorque ſubſtantia per ſolum Dei concurſum ſubſiſtere poteſt. Et quamvis ex Apoſtolo* 1. ad Timoth. *colligatur, ſolum Deum eſſe immortalem; id tamen intelligendum eſt de immortalitate* neceſſaria, *nimirum quod ſolus Deus habet immortalitatem a ſeipſo, quia ſolus eſt increatus, & in ſeipſo ſumme perfectus, nulloque indiget conſervatore: animus vero humanus immortalitatem participat, non quod eam ſibi ipſi concesserit, ſed quod a Deo acceperit, a quo indiget conſervari, ut aeternus exiſtat. Quod autem dicitur in ſexta Synodo Oecumenica, animum* non natura, ſed gratia Dei eſſe immortalem, *intelligi debet, animum immortalitatem habere Deo volente, & conſervante, quae conſervatio eſt indebita naturae, & ex ſola gratia Divina;*

in iuvenibus non propter ſeipſam, ſuamque naturam, ſed propter maximam, quam habet cum corpore affinitatem, & connexionem; etenim Deus hanc legem corpus inter, & mentem ſancivit, ut nullae ferme ſint animi cogitationes, quas ſtatim non ſequantur nonnulli ſpirituum motus in organis corporeis; & viciſſim. Hinc quo explicatiora fiunt organa illa, & quo liberior eſt ſpirituum motus, creſcere aut vigere videtur mens ipſa, quod facilius, & promptius, immo vero fortius ad cogitandum determinetur. Contra vero cum deficiunt [1], aut turbantur ſpiritus, turbari quoque ob eam-

(1) *Nullum admirationi locum eſſe debere ex eo, quod animus, licet immortalis ille ſit, cum membris corporeis quandoque deficere videatur, ita perbelle explicat S. Gregorius Nyſſenus* de Hominis Opificio cap. 12. Eſt omnino totum corpus humanum inſtar muſici inſtrumenti fabricatum. Solet autem nonnunquam uſuvenire, ut canendi quidem aliquis peritus ſit, verum artis ſuae inſtrumentis vitiatis documentum idoneum edere nequeat. Ea enim forte vel a tempore vitiata, vel contracta per ruinam, vel a rubigine, ac ſitu inepta reddita, ſono carent, nullumque ad uſum idonea ſunt, etiamſi vel ab eximio tibicine inflentur. Sic ſe mens per univerſum ſuum organum dividens, & applicans ſe ratione conſentanea membris ſingulis per facultates naturae ſuae convenientes, in iis, quae recte habent ſecundum naturam, vim ſuam exercet: in ceteris, quae artificioſum ipſius motum per imbecillitatem capere nequeunt, iacet, atque otioſa eſt. Eſt enim hoc menti peculiare, ut in membris natura

eamdem rationem, vel deficere videtur cogitatio. Quapropter in lethargo, phreneſi, & ebrietate non mens ipſa, ſed cerebrum laborat, quod eſt mentis inſtrumentum. Seiuncto autem animo a corpore, nullis ipſe corporis motibus agitatur, ſed idem, eodemque permanet ſtatu; unde colligi nequit, ipſum ſoluto corpore interire, cum a corpore ad ſubſiſtendum non pendeat.

Verum ut liberaliter etiam agamus cum Epicuro, Lucretio, ceteriſque male feriatis hominibus, licet ſingula eorum argumenta tanti eſſent momenti, ut incertos nos redderent, an animus humanus ſit immortalis; ipſum tamen rations lumen, & humanae prudentiae leges impellerent ad illum immortalem credendum: nam ſi forte fallantur, qui animi immortalitatem ſibi perſuadent, alteram perennem vitam expectant, ſuamque vivendi rationem eius intuitu componunt; exiguum, ac breve commodum amitterent, nimirum eam voluptatem humanis etiam legibus, & ſocietatis officiis vetitam: ſed ſi non fallantur, aeternam ſibi beatitatem comparaſſent.

Contra vero, qui animos morti obnoxios exiſtimaſſent, & falſae huius hypotheſis praeſidio omnem futuri praemii ſpem, ac poenae formidinem abiicientes, corporeis voluptatibus, caducisque bonis fruendis ſe dediſſent, breve, ac leviſſimum certe commodum adepti eſſent: verum ſi in hac ipſa opinione hallucinati fuerint,

---

ra bene affectis efficacitatem ſuam obtineat, ea vero, quae depravata ſunt, averſetur.

tint, ipſorum prorſus deploranda eſſet conditio; dementiſſimi eſſent habendi, quod in apertiſſimum diſcrimen ſuam adduxiſſent ſalutem, & infiniti mali, aeternaeque poenae periculo ſeſe expoſuiſſent. Cum autem humanae prudentiae leges; & ipſa naturalis ratio nos doceat, ut ex duabus opinionibus ea ſemper eligatur, in qua levioris damni formido, & maioris boni ſpes affulgeat; illa vero deſeratur, in qua leviſſimi commodi ſpes, & maximi detrimenti metus imminet: puriori igitur rationis lumine, & prudentiae legibus impellimur, ut animos immortales eſſe credamus; quamvis argumenta illa, quibus adverſarii nos urgent, talis eſſent momenti, ut ambiguos in hac parte, incertoſque nos redderent. Huiuſmodi morale invictiſſimi roboris argumentum ex eo ductum periculo, in quod ſe conijciunt ii, qui eo dementiae pervenerunt, ut non modo religionem omnem abiecerint, ſed ipſi naturae interius, exteriuſque pulſanti pervicaci animo reſiſtant, ſuum habet auctorem ſublimiſſimi ingenii, & ſummae pietatis virum Blaſium Paſchalem Claromontanum in eximiis illis *Cogitatis*, quae ad opus, quod de oſtendenda Chriſti Religione meditabatur, comparaverat. Denique ut omnia breviter complectamur, quae de animi humani immortalitate dicta ſunt, Tullii verba adhibebimus, qui haec habet (1): *Cum ſimplex animi natura ſit, neque habeat in ſe quidquam admixtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poteſt*

(1) *Lib. de Seneſt. cap.* 21.

teſt ea dividi: quod ſi non poſſit, non poteſt interire. Quid multa? Sic mihi perſuaſi, ſic ſentio. Cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria praeteritorum, futurorum providentia, tot artes, tantae ſcientiae, tot inventa; non poſſe eam naturam, quae res eas continet, eſſe mortalem exploratum eſt: quae quidem cogitans ſoleo ſaepe mirari nonnullorum inſolentiam philoſophorum.

DE HUMANO INTELLECTU, ET IDEIS.

CAP. IV.

CUm ſingulas animi potentias, & facultates hic ordine complecti neceſſe ſit, tres nobis occurrunt, *intellectus* nimirum, *voluntas*, atque *memoria*, quae quidem omnes [1] Divi Auguſtini ſententia, & Philoſophorum omnium iudicio adverſus Thomiſtas non ſunt a mente diſtinctae. Etenim cum mens humana per ſe cogitet, cogitare autem nihil aliud ſit, quam intelligere, & velle; mens igitur non eſt a ſuis facultatibus diſtinguenda: quapropter idem Sanctus Doctor [2] ait:

Me-

(1) *Has facultates ab ipſa mente reapſe diſtinctas negant omnes Philoſophi contra Thomiſtas. Et merito quidem. Etenim nihil nos cogit huiuſmodi facultates a mente ſecernere, cum mens ſola citra realem illam diſtinctionem, intellectus, & voluntatis muneribus fungi poſſit; nam mens per ſe cogitat; cogitare autem eſt intelligere, & velle.*

(2) *Lib.* 10. *de Trinit. cap.* 11.

Digitized by Google

Memoria, *intelligentia*, *&* *voluntas ſunt una mens*. Nobis itaque a prima animi facultatę, qua mens humana ad verum, veluti ad obiectum dirigitur, exordium ducentibus, definiri ſolet intellectus *mentis facultas ens omne*, *&* *modum entis percipiens*; proindeque innumera perceptionum genera tanquam peculiares, ſibique convenientes actus producens. Imagines vero illas, in quibus animus rem perceptam contemplatur, *ideas* vocamus, quarum ope incorporei obiecti perceptio in nobis peragitur. Quomodo autem humana mens eiuſmodi obiectum percipiat, arduum omnino, atque operoſum eſt definire; doctique omnes tanta ſunt in varietate, ac diſſenſione conſtituti, ut illorum vel moleſtum ſit numerare ſententias [1]. Duo tamen ſunt praecipua circa id Philoſophorum placita, quorum primum eſt Peripateticorum, ſeu Scholaſticorum; alterum Platonicorum, & Carteſianorum. Primo itaque Ariſtoteles Peripateticae Sectae Coryphaeus in ea fuit ſententia, ut intel-

(1) *Epicurei*, *qui nihil omnino in rerum natura praeter inane*, *&* atomos *extare falſo ſibi perſuadent*, *incorporeas cognitiones*, *imagineſque tollunt*, *&* *a materia cogitationem profluere*, *imaginibuſque*, *ſpectris*, *idolis quibuſdam corporeis contineri autumant*. *Arabes quidam*, *&* *Mauri*, *ut narrat Picus* tom. 1. pag. 50. *cenſent*, habere mentem apud ſe rerum ſpecies, *quae a rebus extrinſecis excitentur tantum*, *non tamen progignantur*. *Albertus Magnus non negat ſpecies menti congenitas*, *licet iis aut nunquam*, *aut raro uti*, *dum in corpore eſt*, *doceat*, *ut idem Picus* pag. 42. *adſtruit*.

intellectus tabulae raſilis inſtar ſit habendus, cui nulla prorſus imago, aut rerum idea depicta, vel impreſſa fuerit. Ubi vero intellectus ipſe corporea contemplatur phantaſmata, quae ſenſibus ſint excepta, ac cerebro impreſſa, ea incorporea quadam, puriorique luce perfundit, a corporeis affectionibus ita ſeparat, & abſtrahit, ut exinde incorporea quaedam ſpecies efformetur, quae ab intellectu cognoſci, & incorporeum obiectum exprimere valeat [1]. Hinc Peripatetici duplicem diſtinxere intellectum, *agentem* nempe, qui vi ſua incorpoream ſpeciem abſtrahat, & efformet; atque *patientem*, qui ſpeciem ſic efformatam recipiat. Eadem ferme ſenſerunt Gaſſendus, & Lockius; hic tamen incorporeas illas imagines non a corporeis phantaſmatis abſtrahi, ſed ab animo formari opinatus eſt, dum corporeis imaginibus ipſe percellitur, meditatione, coniectura, diſſerendique viribus; quibus omnibus novas, ſenſimque puriores ideas a mente ſibi procudi exiſtimavit.

Pla-

(1) *Duos proinde poſuit intellectus*, agentem *ſcilicet*, *&* patientem *: agens, qui facit omnia intelligibilia ; patiens, quo fiunt omnia intellecta. Ita enim ille loqui amat.* (Legat. Corſin. Metaph. pag. 147. 148. & 152.) *Hic autem obſervandum, vocem graecam, qua utitur Ariſtoteles eo loci, mentem ipſam, ſeu animum rationalem exprimere, non vero intellectum, mentis ipſius facultatem. In quo quidem ſenſu nihil vetat, quominus mens dici poſſit agens ſimul, & patiens : agens enim eſſet, quatenus ſe ad agendum determinaret, &* voluntas *diceretur ; patiens vero, quatenus intelligeret, &* intellectus *vocaretur.*

Platonici vero, & Carteſiani triplicis generis ideas diſtinguentes, *innatas* ſcilicet, *adventitias*, atque *factitias*; corporeas quidem imagines ſenſibus acquiri, & cerebro imprimi poſſe concedunt; ſed incorporeas ideas ingenitas, nimirum divinitus humanis mentibus impreſſas eſſe arbitrantur, ut a corporeis imaginibus abſtrahi, vel earum praeſidio, ac ſenſuum ope ab intellectu efformari nequeant, ſed ſolum excitari veluti occaſione quadam ob legem corpus inter, ac mentem a Deo ſtatutam (1). Atque ut ſuam ipſi de origine idearum tueantur ſententiam, hiſce utuntur argumentis. Et 1. quidem cum nulla, ut aiunt, proportio inter corporeas, incorporeaſque ideas ſit, iſtae ex illis educi, ac oriri nequeunt. 2. Non ſolum inter ſe diſſimiles, ſed oppoſitae quoque eſſe debent, ut ab iis res corporeae, extenſae, ac diviſibiles; ab iſtis incorporeae, partium expertes, & indiviſibiles exhibeantur. 3. Et re quidem vera corporeae ideae ea ſolum exprimunt obiecta, quae ſenſibilibus ſenſationibus, ut calore, ſapore &c. praedita ſunt: atqui ſpiritalia obiecta, ut iuſtitia, veritas &c. nulla corporea qualitate ſunt affecta: ergo in imaginibus corporeis nihil prorſus eſſe poteſt incorporeum, quod ex iis abſtrahatur, aut educi poſſit. Immerito igitur a Peripateticis id adſtruitur: nam licet ex corporeis obiectis phantaſmata quaedam oriri, ad ſenſuum orga-

(1) *Ideae enim illae innatae vocantur, quae aliquando ſine obiecti externi occaſione, & facili, ac expedito rationis uſu comparantur.*

organa deferri, & cerebro impreſſa conſervari arbitremur; ipſa tamen nihil aliud ſunt, quam ſpirituum quidem animalium motus, ac vibratio, quae tenuiſſimas nervorum, ac cerebri fibras percellit; ut animus pro varia motus indole, ac vibratione, ex qua nulla ſpiritalis idea prodire, & abſtrahi poteſt, hanc potius, quam aliam ſenſationem, huius potius, quam alterius obiecti perceptionem in ſe excitari cognoſcat. Hinc autem ſequitur, quod incorporeae imagines ſenſuum ope ab animo non efformentur, ideoque in ipſo a Deo impreſſae cenſeantur, ea tamen lege a Divino Opifice conſtituta, ut a corporeis imaginibus excitentur, & *actu* cognoſci non poſſint. Hanc legem, & arcanam prorſus corporeae, ſimulque incorporeae cognitionis connexionem ipſe quoque Ariſtoteles, & Lockius admiſere, cum ipſi quoque incorporeas illas imagines ſenſuum ope, animique viribus formatas, ſemper quidem impreſſas eſſe velint; neque tamen illas ſemper ab animo cognoſci dicant, niſi prius a corporeis imaginibus, nimirum a ſpirituum animalium motibus excitentur.

Platonicorum, & Carteſianorum de idearum origine ſententiam ſunt amplexati tum praeſtantiſſimi inter Philoſophos, tum ipſi Eccleſiae Patres, praeſertim vero Divus Auguſtinus, qui in ſuis praeclariſſimis operibus ſaepe ſaepius docet, eas ideas non oriri a ſenſibus, quarum obiecta nec colorata, nec ſapida, nec ſonora, nec ulla ſenſibili affectione donata ſunt: & in aureo

ſuo

ſuo *Confeſſionum* Opere [1] inviſtiſſime oſtendit, ſpirituales ideas a corporeis imaginibus nulla ratione poſſe profluere. Nonnulla hic proferam ex laudato Opere Auſtoris eiuſdem [2] excerpta, in quo ſcientias, quibus homines dant operam, cum ſub nullum cadant ſenſum, ante in animo latuiſſe demonſtrat: *Percurro*, inquit, *ianuas omnes carnis meae, nec invenio, qua earum ingreſſae ſint*, nempe doctrinae. *Quippe oculi dicunt; ſi coloratae ſunt, nos eas nunciavimus. Aures dicunt; ſi ſonuerunt, a nobis indicatae ſunt. Nares dicunt: ſi oluerunt, per nos tranſierunt, Dicit etiam ſenſus guſtandi: ſi ſapor non eſt, nihil me interroges. Tactus dicit: ſi corpulentum non eſt, non contrectavi. Si non contrectavi, non indicavi ..... Ibi ergo, in mente nimirum mea erant, & antequam ea didiciſſem*. Et alibi [3] idem prorſus confirmat his verbis: *Et ſumus, ait, & nos eſſe novimus, & id eſſe, ac noſſe diligimus. In bis autem tribus, quae dixi, multa nos falſitas veriſimilis turbat: non etiam ea, ſicut illa, quae foris ſunt, ullo ſenſu corporis tangimus, veluti colores videndo, ſonos audiendo, odores olfaciendo, ſapores guſtando, dura, & mollia contrectando ſentimus*.

Quidquid de prima mentis facultate iam diximus, idem quoque de altera, nempe de memoria intelligendum, quae ad intellectum ipſum referri facile poteſt; nam ſi obiectum aliquod actu percipimus, intelligere dici-

(1) *A cap. 6. uſque ad 22. lib. 10.*
(2) *Eod. lib. 10. cap. 10.*
(3) *Lib. de Civit. Dei cap. 26.*

dicimur : ſin vero illud idem obiectum percipimus, quod antea fuerat a nobis perceptum, dicimur recordari ; eſt enim memoria *humanae mentis facultas* (1), *qua*

 rerum

(1) Memoria eſt humanae mentis facultas, qua rerum prius perceptarum recordamur. *Ea vero nihil aliud eſt, quam ipſa mens, prout occaſione veſtigiorum in cerebro reſiduorum, & motuum ſpirituum animalium per haec veſtigia diſcurrentium, ad certam rerum perceptionem determinatur. Iſtam eſſe habitum pluribus demonſtrat Cl. Genuenſis* tom. 2. Metaph. prop. 51. pag. 210. par. 2. ; *ſicuti etiam illius definitionem ſuppeditat* pag. 14. ; *eamque a* reminiſcentia *diſtinguit. Qua vero ratione multarum adeo diverſarumque rerum in nobis reminiſcentia fiat, diſputant inter ſe Philoſophi, quorum opiniones nunc a nobis diſcutiendas non eſſe arbitramur ; illud dumtaxat demonſtraſſe ſufficiat adverſus Helvetium inſignem Materialiſtam, reminiſci idem, ac ſentire eſſe non poſſe, ut ipſe ineptit in ſuo Opere inſcripto* l'Eſprit diſcour. 1. cap. 1. *Quid hac in re D. Thomas pro ſuo more acutiſſime docuerit, videamus*. Quod enim, *inquit* 1. *par. q.* 79. *art.* 6., recipitur in aliquo, recipitur in eo ſecundum modum recipientis. Intellectus autem eſt magis ſtabilis naturae, & immobilis, quam materia corporalis. Si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non ſolum tenet, dum per eas agit in actu, ſed etiam poſtquam agere ceſſaverit ; multo fortius intellectus immobiliter, & inamiſſibiliter recipit ſpecies intelligibiles, ſive a ſenſibilibus acceptas, ſive etiam ab aliquo ſuperiori intellectu effluxas. Sic igitur ſi memoria accipiatur ſolum pro vi conſervativa ſpecierum, oportet dicere eſſe in intellectiva parte. Si vero de ratione memoriae ſit, quod eius obiectum ſit prae-

rerum prius perceptarum recordamur. Cum itaque ad memoriam tum obiecti perceptio, tum veteris quoque perceptionis cognitio, & *advertentia* requiratur; hinc patet, ipſam ad intellectum revocari debere, quod nobis demonſtrandum propoſueramus (1).

DE

praeteritum, ut praeteritum, memoria in intellectiva parte non erit, ſed ſenſitiva tantum, quae eſt apprehenſiva particularium. Praeteritum enim, ut praeteritum, quum ſignificet eſſe ſub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet. *Quapropter quaecumque tandem ea ſint, quorum reminiſcimur, & quacumque ratione eorumdem cognitionem acquiſiverimus; vis illa, quae notiones abſtractas conſervat, dataque opportunitate ſuppeditat, nonniſi intellectualis eſſe poteſt, quia nihil ſenſitivi in ſe habent, quae in ea continentur. Hinc recte Tullius memoriam vocavit* theſaurum omnium ſtudiorum, *ut tradit Tertullianus* de Anima cap. 24. *At vero ſi memoria ad aliquid iam praeteritum, quatenus tale eſt, referatur, quia praeteritum, quatenus tale eſt, determinato tempore fuiſſe ſignificatur, ideo nulla amplius rei abſtractae notio habetur, ſed determinatae, atque peculiaris; & hac de cauſſa memoria ad partem ſenſitivam tunc ſpectat, quae ſingularia tantummodo reſpicit: haec vero memoria nobis, atque brutis communis eſt; non autem altera illa, quae conſervat notiones abſtractas, dataque opportunitate ſuppeditat. Conſulatur idem S. Doctor* in 1. ſent. diſt. 3. qu. 4. art. 1., & in 4. ſentent. diſt. 44. q. 3. art. 3. quaeſtiunc. 2. ad 4.

(1) *Illud autem hic obſervandum, quod cum Platonici humanos animos ab aeterno creatos, & in ſideribus collocatos autumarent, ut ibi perenni rerum omnium cognitione fruerentur, dum incorporeas ideas ſibi impreſſas contempla-*

DE VOLUNTATE ANIMIQUE LIBERTATE.

CAP. V.

HUmana voluntas ſolet in Scholis definiri, *quaedam mentis facultas, quae bonum generatim ab intellectu exhibitum proſequitur, & malum averſatur*. Voluntas itaque ab intellectu facem quodammodo illi praeferente neceſſario pendet [1], ut animus per voluntatem nihil

I 2 pro-

plarentur; cognitionem illam in animis corpori mox coniunctis ſenſuum ope excitari pronuntiarunt: unde celebre erat apud ipſos effatum, quod ſcire noſtrum eſt reminiſci.

(1) *Vulgo dici conſuevit, ab intellectu voluntatem* dirigi in proſecutione boni, & fuga mali; *quod plane non ita intelligendum eſt, ac ſi intellectus nutu imperioque ſuo determinet, praeſcribatque obiectum, in quod ferri voluntas debeat; quum eam ſuapte natura in bonum ferri, malumque averſari conſtet; ſed ita, ut* 1. *intellectus oſtendat voluntati, qua in re inſit ea boni ratio, quam ipſa appetit:* 2. *modum manifeſtet, mediumque, quo illud aſſequi ipſa poſſit:* 3. *invicem conferat varia bonorum genera, illudque patefaciat, in quod ut tendat, magis expedit voluntati:* 4. *licet bonum ſenſibile voluntas, ſeu potius appetitus, ſe ſolo, ſive propria experientia valeat cognoſcere; bonum tamen morale, quin & utile unice ab intellectu, ſeu ratione detegitur, ac voluntati proponitur. Voluntas* ex. gr. *appetit ciborum ſuavitatem: illa tamen non poteſt hac frui ſuavitate, niſi* 1. *intelle-*

ctus

proſequatur, aut fugiat, quin prius ab intellectu obiecti bonitas, vel malitia deprehendatur, ſeu ut Scholae loquuntur, *nihil volitum, quia praecognitum*; ſcilicet nihil vo-

---

ctus ei indigitet proponatque cibos, qui ſuaviores ſint, & guſtui accommodatiores: 2. quum voluntas quidpiam amat tanquam finem, modum ei oſtendit intellectus, mediumque, quo ipſum obtineat: amat ex. gr. *voluntas proprii individui conſervationem, adeoque ea omnia, quae eidem conſervando conducunt; haec ei porro aperit intellectus; ſcilicet finem appetere proprium voluntatis eſt; ad eius aſſecutionem dirigere, ſpectat ad intellectum: ſic voluntas amat, & quidem neceſſario propriam felicitatem; at intellectus oſtendit, ubinam ea quaerenda, & quae ad eam conſequendam utilia ſint, aut neceſſaria: 3. voluntas amat ſaepenumero plura eaque diverſa bona, inter quae ea quoque non raro, quae poſtmodum nocitura ſunt. Tunc autem munus eſt intellectus, ea varia bona mutuo, & ad varias voluntatis affectiones comparare, innocua a noxiis ſecernere, nocumenta praevidere; indeque ea ſub varia ratione voluntati proponere, ſicque eam de bono praeferendo inſtruere. 4. At vero praecipue intellectus ſeu ratio patefacit bonum morale, illudque voluntati perſequendum proponit: dixi* praecipue; *nam quum alia bona, ac praeſertim ſenſibilia poſſit experientia ſenſuum percipere, indeque ad eorum appetitionem incitari; bonum morale ab una ratione cognoſci poteſt, ac proponi: licet admittenda quoque ſit in voluntate ipſa aliqua ad illud inclinatio, ac veluti coaptatio. Sed quum de bono morali quaeſtio ſit, ad ſolam rationem pertinet illud diiudicare. His ferme terminis directio illa continetur, quam iuxta communem ſententiam voluntati praeſtat intellectus: quae ſane omnia & cum recto ſenſu, & cum experientia apprime conveniunt.*

voluntas diligit, aut reiicit, quod antea non perceperit intellectus, & voluntati propoſuerit (1). Conſequens igitur eſt; 1. quod intellectus ad verum, voluntas ad bonum tanquam obiectum dirigitur: 2. ille veritati a ſe cognitae non libere, ſed neceſſario (2) aſſentitur; haec

(1) *Nihil appetere poſſumus, niſi ut bonum; nihil averſari, niſi ut malum nobis videtur: quandoquidem quia malum nobis diſplicet, repugnat, ut appetamus; alioquin diſpliceret, & non diſpliceret: contra vero quia bonum placet, repugnat, ut averſemur; alioquin placeret, & non placeret: hinc ſi nihil appetimus, niſi ſub ratione boni, nihil averſamur, niſi ſub ratione mali; ergo ut aliquid appetamus, vel averſemur, boni, & mali cognitio praecedat neceſſe eſt.*

(2) *Nonnullae ſunt propoſitiones contingentes, quae ex primis principiis neceſſario non conſequuntur; atque his intellectum tam aſſentiri, quam diſſentiri poſſe, nemo dubitat: rurſus aliae pariter ſunt, quae ex primis principiis per ſe notis neceſſaria connexione profluunt; hiſce autem intellectus non aſſentiri minime poteſt, ſemel ac cum principiis earum neceſſariam connexionem perſpexerit. Quapropter tum primis principiis, tum omnibus iſtis propoſitionibus intellectus aſſentiatur oportet, ſemel ac illa cognoverit. Haec tamen neceſſitas cum quoad prima principia, tum quoad propoſitiones cum iiſdem neceſſario connexas, non eſt abſoluta, atque antecedens, quae conſenſum intellectus praeveniat. Nam & prima principia, & neceſſitatem connexionis, quam nonnullae propoſitiones cum iiſdem habent, cognoſci prius oportet, antequam intellectus in huiuſmodi neceſſitate conſtituatur; rei enim incognitae, quamvis revera ſummam in ſe perſpicuitatem habeat, nemo aſſentiri, ac de illius veritate convictus eſſe poteſt: ergo nul-*

haec autem non neceſſario, ſed libere privatum bonum ſibi propoſitum odio, vel amore proſequitur; adeoque ambas iſtas facultates inter ſe diſtinctas concipere debemus. Ex illa vero indifferentia, qua voluntas eiuſmodi bonum ſibi repraeſentatum diligit, vel reſpuit, praecipua illa dimanat voluntatis affectio, quae *libertas* (1) dici-

nulla abſoluta atque antecedens neceſſitas hic occurrit; quae conſenſum praevertat intellectus. Etenim dum intellectus, nulla urgente neceſſitate, haec ſibi contemplanda proponit, cauſſa ſibi ipſe eſt, ut iiſdem neceſſario aſſentiatur. Ita etiam ſentit D. Thomas 1. par. q. 82. art. 2.

(1) Fu della volontà la libertate
Di che le Creature intelligenti
E tutte, e ſole furo, e ſon dotate.

Ita Dantes Alighierius Poeta noſter praecellens. Haec voluntatis affectio a nonnullis Philoſophis ſublata eſt, a Democrito nempe, eiuſque aſſeclis, qui omnia tribuunt fato, a quo futuri omnes ſingularum rerum eventus praeſcripti ſint, ac definiti; ab Aſſyriis, Chaldaeis, Aſtrologis, aliiſque id genus hariolis, qui cuncta ſiderum poteſtati ita ſubiiciunt, ut ipſi quoque voluntatis actus ſecus produci non poſſint, quam ut varius ille ſiderum ordo, influxus, aſpectus portenderat, ſub quo homines nati fuiſſent; a veteribus tandem, recentioribuſque haereticis Calvino, Luthero, aliiſque compluribus, qui primi parentis peccato libertatem ipſam nobis ereptam, aut mire vitiatam, vulneratam, immo confectam, & extinctam eſſe, *impiiſſime blaterarunt; ut proinde nunc homines* ſponte *quidem*, *ſed* neceſſario *tamen ad obiecta ferantur, atque ingenito voluptatis ardori reſiſtere vel repugnare non poſſint.*

Haec

diciṫur, ſeu *liberum arbitrium*, quod a D. Thoma optime definitur, *vis electiva*, nimirum facultas unum prae alio

---

Haec autem omnia facile dirimi, refellique poſſunt. Et primo quidem fati natura, eiuſque decretorum ſeries, de qua Stoici praeſertim diſputarunt, una cum Ethnicae Religionis erroribus obſolevit, purioriquè rationis lumine facile innotuit, fatum illud, quod a vero, ſupremoque Numine diſtinctum Stoici, aliique plures effinxere, imaginarium prorſus, ac inane nomen eſſe oportere, quemadmodum Seneca Nat. quaeſt. lib. 2. cap. 45. *licet Stoicae doctrinae aſſertor, fati nomine nihil aliud intelligi poſſe pronunciavit, quam* Deum, *qui futuris omnibus legem praeſcripſerit; haec futura potius, quam non futura decreverit; eventuſque omnes, ac ſingulos humanae voluntatis actus invariabili decreto, atque immutabili ſerie conſtituerit.*

Impudens autem illa, ac leviſſima aeruſcatorum hominum opinio de occulta ſiderum vi, atque influxu ab Aſſyriis, Aſtrologis, aliiſque id genus hariolis excogitata melioris Phyſices praeſidio reiecta omnino fuit; adeoque argumenta adverſus hominis libertatem ex variis ſiderum aſpectibus in medium allata contemni potius debent ac irrideri, quam ſerio graviterque refelli.

Quod vero ſpectat ad tertiam Novatorum claſſem; quamvis primi parentis peccato indifferens illa, aequabilis, perfecteque libera arbitrii vis primo homini conceſſa pronior deinde ad malum, quam ad bonum evaſerit; perſpicuo tamen, certoque ſenſu intelligimus, atque experimur, vim, & imperium illud adhuc in nobis exiſtere, quo ſenſuum illecebris, corporeis motibus, & affectibus reſiſtere, obiectum malum reſpuere, ipſique oppoſitum amplecti poſſimus. Ergo plena voluntatis libertas violata, ac vulnerata quidem fuit, non tamen prorſus erepta, vel extincta; unde nunc

alio eligendi [1]. Duplex libertas eſt in hominibus diſcernenda ; electio enim alia eſt ad agendum, vel non agen-

nunc etiam non ſponte ſolum, ſed libere quoque; cum volumus, operamur, ut paullo inferius magis conſtabit; idque definivit Oecumenica Tridentina Synodus adverſus veteres, recentioreſque haereticos Calvinum, Lutherum, compluresque alios Novatores, quos omnes ſeſs. *6.* can. 4., 5., *& 6. anathemate percuſſit.*

(1) *Liberi arbitrii origo ab animae rationalis amplitudine eſt repetenda: cum enim ipſa omnibus bonis creatis ſit maior, a nullo prorſus completur, ſed ſingula ſic perluſtrare poteſt, ut quolibet neglecto ad illud convertere ſe poſſit, in quo liberi arbitrii vis ſita eſt. Addendum inſuper, quod homo eſt ratione praeditus, unum cum altero comparat, idque ſibi faciendum eſſe conſtituit, quod magis expedire aut vere, aut falſo putaverit: ergo liber eſt; quia ratione praeditus. Et quidem quia unum cum altero comparat, & id eligit, quod ſibi magis expedire indicaverit; conſequens igitur eſt, ut per ſe ad unum determinatus non ſit, ſed indifferenter ſe ſe habeat: atqui in hoc libertatis notio conſiſtit; ergo libertatem habet homo, quia ratione donatur. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 17. art. 1. ad 2.:* Dicendum, *inquit*, quod radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubiectum; ſed ſicut cauſſa eſt ratio: ex hoc enim voluntas libere poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni. *Et ideo Philoſophi definiunt liberum arbitrium, quod* eſt liberum de ratione iudicium, *quaſi ratio ſit cauſſa libertatis. Unde etiam S. Gregorius Nyſſenus Orationis Catecheticae c. 31.:* Eſt enim, *inquit*, ſolum inanimorum, aut eorum quae ſunt expertia rationis, aliena voluntate ad id, quod videtur, adduci. Rationis autem

agendum ; & haec *contradictionis* libertas vocatur, quia agere, & non agere ſunt contradictoria : alia eſt ad agendum hoc, vel illud ; hoc, vel illo modo, ex. cauſſ. ad diligendum, vel odio habendum ; ad loquendum, vel ſcribendum ; haec autem dicitur libertas *contrarietatis* (1) ; ſeu *diverſitatis*, quia diligere, & odiſſe ſunt contra-

---

tem particeps, & intelligens natura ſi liberum depoſuerit arbitrium, ſimul etiam perdit gratiam intelligentiae. Ad quid enim ſua utetur mente, ac cognitione, ſi poteſtas eius eligendi, quod ſuo arbitratu conſtituit, ſita eſt in alio? *Deinde per iudicium rationis fit, ut homo hoc potius, quam illud ſibi agendum eſſe conſtituat : ergo per iudicium rationis ſeipſum determinat : ergo libertas tanquam in ſua radice in ratione conſiſtit. Itaque dubitari nullo pacto poteſt, quin in homine principium libertatis ſit ipſa ratio.*

(1) *Utramque libertatem*, contradictionis *ſcilicet*, *atque* contrarietatis *in nobis exiſtere inferius patebit ; & quamvis ad* eſſentiam *humanae libertatis haec ultima ipſius ſpecies neceſſario non requiratur ; in hac ipſa tamen hominum conditione, vel ſtatu libertas etiam* contrarietatis *eſt admittenda, ut fuſe, accurateque a Theologis demonſtratur ; quemadmodum prorſus ab iis contra Janſenium, compluresque alios probatur*, meritum, *vel* demeritum, *quod humanis actibus ineſſe poſſit, ex* indifferentia *perfectaque libertate oriri debere, quae neceſſitatem omnem excludat, adeoque interdum quidem ad contraria, interdum vero ad contradictoria obiecta poſſit converti. In Deo tamen, licet ille perfectiſſima, infinitaque gaudeat libertate, ut ſuo loco mox oſtendemus, ſola* contradictionis *libertas admitti poteſt ; ac debet ; cum bonum quidem agere, aut non agere, nunquam vero malum eligere, aut operari ipſe poſſit.*

traria ; ſcribere, & loqui ſunt diverſa. Hinc factum eſt, ut a nonnullis Philoſophis liberum arbitrium fuerit definitum, *facultas, qua poſitis omnibus ad agendum praerequiſitis, poteſt quis agere, vel non agere, immo aliquando contrarium agere*. Ex quibus omnibus infertur, 1. libertatem arbitrii minime verſari circa finem ultimum, ſeu beatitatem noſtram generatim, quia hanc non poſſumus non expetere : 2. nec circa ea, quae cum ſummo bono ſunt neceſſario connexa, & ſine quibus ſummum illud bonum conſequi non poſſumus ; cuiuſmodi ſunt *eſſe*, & *vivere* ipſius ſaltem mentis, quod haec quoque, ut docet D. Thomas [1], neceſſario, non libere diligamus : 3. idem pariter ſentiendum eſt de iis, quae cum ſummo vero ſunt neceſſario coniuncta, cuiuſmodi ſunt axiomata communia, quibus non poteſt humana voluntas non aſſentiri.

Itaque libertas circa ea dumtaxat verſabitur, quae media ſunt ad finem, quaeque poſſunt modo bona videri, modo mala. Verum ut graviſſimam hanc de arbitrii humani libertate controverſiam pertractemus, alia nonnulla a nobis ſunt praemittenda, atque obſervanda. Et primo actus humanus eſt *ille, qui fit ab homine cogitato, & conſulto operante* ; ut ab actu illo diſtinguatur, qui non humanus, ſed *hominis* dicitur, quia ſine ulla mentis attentione peragitur. Quapropter ut actus dici poſſit humanus, voluntarius eſſe debet, ſcilicet cum cogni-

(1) *P. 1. quaeſt. 21. art. 2. ad 3.*

cognitione intellectus, ac voluntatis propenſione fieri debet [1]. Hinc duo maxime voluntario ſunt oppoſita: 1. vis ſeu coactio, quae definitur [2], *maior rei impetus, qui repelli non poteſt*, & voluntatis propenſioni eſt contrarius [3]: 2. ignorantia *invincibilis*, ita dicta, quod, adhibita humana diligentia, ſuperari illa nequit [4].

Actus

(1) *Hic autem obſervaſſe iuverit, quod actus illi, qui in nobis peraguntur, interdum quidem* voluntarii, *interdum vero* involuntarii *eſſe poſſunt. Voluntarii dicuntur, qui a voluntate veluti cauſſa profluunt; in quibus nempe eliciendis animus ipſe propenſione quadam, ac veluti pondere inclinat, aut certe ab iis non abhorret, nec illos invitus producit. Involuntarii autem ii ſunt, qui in nobis vel inſciis, vel invitis peraguntur; ubi ſcilicet nulla mentis perceptio, nulla prorſus electio, propenſio, aut determinatio praeceſſit, & actus ille a nobis temere, & inconſulto producitur. Hinc optime definivit* voluntarium *Ariſtoteles* Ethic. *lib.* 3. *cap.* 1., id, quod fit a principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio; *id nempe, quod ipſa mens eligit, poſtquam finem, obiectum, & circumſtantias omnes rite exploraverit, quae actum ipſum conſequuntur. Iuvoluntarium autem definivit*, id, quod fit vel vi, vel ignorantia; *ubi nimirum nulla intellectus cognitio, aut nulla voluntatis electio, atque propenſio reperitur, quin etiam aliquando repugnantia aut averſio continetur.*

(2) *Ea definitio eſt Pauli Juriſconſulti ff.* quod metus cauſſa.

(3) *Cum quis truditur in carcerem, is non ſponte, ſed invitus carceris oſtium ſubit.*

(4) *Ignorantia triplici ratione ſpectari poteſt*, 1. *vel ratione eius, qui ignorat;* 2. *vel rei, quae ignoratur;* 3. *vel*

ipſius

Actus voluntarius alter eſt *ſpontaneus*, in quo producendo voluntas humana ab extrinſeca vi non cogitur, vel a coactione eſt immunis: alter eſt *indifferens*, ac perfecte liber, qui nullo cogente fit, vel etiam qui ita exercetur, ut poſſit ad libitum omitti (1). Unde du-

ipſius actionis, quae ex ignorantia fit.

1. *Si primum: aut eſt* vincibilis; *aut* invincibilis. *Vincibilis ea eſt, quae, adhibita morali diligentia, ſuperari poteſt; haec autem duplex eſt, vel* affectata; *ut cum aliquis de induſtria affectat quid ignorare, puta praeceptum aliquod, ut liberius illud tranſgredi queat; vel eſt* craſſa *&* ſupina, *cum quis eam ſaltem indirecte velle videtur, dum adeo ſupinus eſt, ut nullo pacto eam expellere curet,* v. gr. *ſi quae officii ſui ſunt, addiſcere negligat. Cuiuſcumque autem rationis ſit haec, nunquam voluntarium tollit.*

2. *Si ſecundum: alia eſt* iuris, *qua ignoratur ius ipſum, quod ſciri debet; alia* facti, *qua factum quid ignoratur.*

3. *Si tertio modo ſpectetur: alia eſt* antecedens, *alia* comitans, *alia* ſubſequens. *Antecedens determinationem voluntatis antecedit, qua ſublata non fieret actio: ſi haec invincibilis fuerit, involuntarius quoque erit actus. Comitans actionem comitatur; ut ſi quis hoſtem, cuius mortem quaerit, inter venandum occideret. Haec neque facit voluntarium, quia fieri debet cum cognitione, neque impedit, quia licet adeſſet cognitio, actio tamen fieret. Subſequens, quae vel explicitam, vel implicitam voluntatis determinationem ſequitur, ſed quam vel directe, vel indirecte quis voluit.*

(1) *Voluntarii, & liberi notio quamvis una, atque eadem eſſe videatur, contra tamen res ſe ſe habet. Voluntarium a principio intrinſeco eſt cum cognitione finis; liberum vero*

duplex libertas prodit, prima *a neceſſitate extrinſeca*, ſeu *a coactione*, quae etiam in Scholis *ſpontaneitas* vocatur, vim omnem externam, nempe ab externo principio illatam removens: eiuſmodi libertate Beati Deum amare dicuntur, quod nullo cogente, ſed libentiſſime Deo per amorem adhaereſcunt. Altera vero, quae *a neceſſitate intrinſeca*, ſeu *naturae*, vel etiam quae *naturalis propenſionis* libertas nuncupatur, neceſſitatem omnem excludit, tum intrinſecam ſeu naturae, tum extrinſecam ſeu coactionis [1]. Exinde patet, quod omnis actus liber eſſe debet ſpontaneus, ſed non viciſſim [2]. His probe conſtitutis, homines divina plane muni-

vero non ſolum eſt a principio intrinſeco cum cognitione finis, ſed etiam indifferentiam ad agendum, vel non agendum ſecum affert: unde omne liberum voluntarium eſt, quia tam liberum, quam voluntarium habet principium intrinſecum cum cognitione finis; at non omne voluntarium eſt liberum, quia liberum intrinſecam determinationem excludit, cum qua voluntarii ratio ſimul conſiſtit.

(1) *Naturalis ergo neceſſitas libero, non voluntario adverſatur; coactio autem tum liberi, tum voluntarii rationem tollit. Quae ergo intrinſeca neceſſitate fiunt, voluntarie quidem, ac ſponte fieri, non autem libere dici poſſunt. Hinc libertas alia proprie dicta, & arbitrii; alia improprie dicta, & ſpontaneitatis: haec coactionem ſeu externam neceſſitatem excludit, non vero intrinſecam determinationem ad unum; illa vero neque etiam cum intrinſeca determinatione ad unum ſimul eſſe poteſt.*

(2) *Ipſe etiam Ariſtoteles huiuſmodi obſervavit diſcrimen, cum alios quidem* ſpontaneos *ſolum, alios vero* ſpontaneos

munificentia eſſe libertate donatos, duabus ſequentibus propoſitionibus oſtendemus.

Homines libertate, quae dicitur a coactione, ſeu ſpontaneitatis praediti ſunt. Et quidem libertas a coactione ea eſt, quae vim externam, ſcilicet ab externo principio illatam contra voluntatis propenſionem removet. Atqui homines bonum generatim, ſuamque felicitatem neceſſario quidem, ſed tamen diligunt ſponte, ac nemine cogente, ut cuique exploratum, certumque eſt; ergo liberi ſunt [1] a coactione. Haec vero libertas

neos, *ſimulque* liberos *actus diſtinxit*. Ethicorum *enim* lib. 3. cap. 2. *ait:* Electio ſpontaneum quoddam eſſe apparet, non idem tamen prorſus eſt; ſpontaneum enim latius patet; nam & ſpontaneum tum pueris, tum reliquis animalibus commune eſt, electio minime; & quae de improviſo fiunt ſpontanea ſunt, non autem ex electione.

(1) *Cum nullus mereri poſſit, niſi qui ex electione agit, ut in confeſſo eſt apud omnes, qui naturalibus ideis de rebus iudicant; hinc eſt, quod libertas* a coactione *non ſufficit ad praemium, ſive poenam promerendam; ſed requiritur libertas* a neceſſitate *etiam intrinſeca & naturali, qua quis agere, vel non agere poſſit ad libitum. Eaque merendi ratio nobis in ſtatu praeſertim naturae per peccatum lapſae poſitis convenit; in quo quidem ſtatu meritum omne noſtrum hinc ducitur, quod ope divina adiuti* abſtineamus a malo, *quod penes nos eſt admittere, &* faciamus bonum, *quod omittere poſſumus. Verum ad eſſentiam libertatis* a neceſſitate naturae *non pertinet, ut quis vel per* commiſſionem, *vel per* omiſſionem *peccare va-*

tas a coactione ab omnibus Philoſophis admittitur in animis humanis, idque ex innumeris illis actibus oſtendi poteſt, quos neceſſario certe, ſed ſponte tamen in nobis produci experimur: ita apertis oculis neceſſario, ſed ſponte videmus, neceſſario, ſed ſponte reſpiramus; ut actus illos omittam, quos in pueris, in ſubitis caſibus ſponte quidem, ſed neceſſario ſine ulla cognitione, electione, vel indifferentia peragi Ariſtoteles ipſe obſervavit.

2. Homines ſunt etiam liberi a neceſſitate intrinſeca, vel naturali; quae ſane libertas dicitur quoque liberum arbitrium, ſeu libertas electionis, aut indifferentiae (1), & abſolute libertas nominatur. Et re quidem

valeat; nam Deus, qui liberrimus eſt, ut inferius oſtendemus, deficere nequit; ſed hoc ſolum requiritur, ut agere queat, vel non agere ad libitum.

(1) *Quia vero indifferentia ad libertatem neceſſario requiritur, ideo huic duplici libertatis generi hactenus propoſitae duplex quoque indifferentiae genus reſpondet: indifferentia* paſſiva *in libertate ſpontaneitatis;* activa *autem in libertate arbitrii continetur: illa ad hoc, vel illud patiendum; haec ad agendum, vel non agendum aequali ratione ſe habet. Haec vero indifferentia activa rurſus alia eſt* contrarietatis, *alia* contradictionis; *contrarietatis rem unam, vel oppoſitum eius aut bonum, aut malum; contradictionis vero agendi, vel non agendi poteſtatem importat. Porro quia ille, qui activum agendi principium in ſe habet, aliquando agit, aliquando non agit, vel ſaltem quoad aliquod actionis genus indeterminatus exiſtit; ideo alia eſt indifferentia* ſuſpenſionis, *quae conſiſtit in privatione actus,*

dem vera liberum arbitrium eſt vis electiva, ſive facultas eligendi unum prae alio; proindeque neceſſitatem omnem tum exteriorem, tum interiorem excludit: atqui homines facultatem habent unum prae alio eligendi; nam homo praeditus eſt intellectu, quo res cognoſcit, & voluntate, qua ex multis rebus, quae non ſunt ſummum bonum, unam poteſt aſſumere, aut relinquere ad libitum, ut intimo quiſque, vividoque percipit ſenſu; ergo homines ſunt etiam liberi libertate electionis, ſcilicet libero arbitrio praediti ſunt [1]. Poſtre-

actus, eumque eliciendi facultatem praeſupponit; alia poteſtatis, *qua quis etiamſi aget, tamen vel non agere poteſt.*

(1) *His omnibus rationum momentis pro humana libertate adſtruenda adiici poteſt maximi roboris argumentum, quod communiſſimo, atque perpetuo hominum conſenſu nititur. Omnes enim homines ſeſe liberos credunt: omnes vero homines in re praeſertim propria, ſeu quae ad propriam experientiam ſpectat, falli, abſurdum eſt aſſerere; quod tamen aſſerunt Spinoſa, & Thomaſius. Et quidem* in omni re, *ut optime Tullius*, conſenſio omnium gentium lex, (*ſeu ut habet alibi*) vox naturae putanda eſt. *At qua, quaeſo, in re alia, aeque ac in ea conſenſere gentes omnes, aut conſentiunt? Univerſalis huius conſenſionis certiſſimum argumentum eſt, quod nullus eſt populus, qui nullis regatur legibus; nullus eſt populus, qui non cenſeat alias quidem actiones laude praemioque, alias vituperatione & poena dignas; nullus locus, ubi non hortationes, non preces, non minae adhibeantur, ut ad agendum aliquid alii inducantur, excitenturque. At vero quiſnam adeo deſipiens ſit, qui velit praeſcribere leges homini, quem credat neceſſa-*
rio

ſtremo tandem loco minime praetereunda eſt illa libertatis contradictionis diviſio, nempe in libertatem *ſpecificationis*, & *exercitii*. Specificationis ea dicitur, qua quis eſt indifferens, & liber ad hoc, vel aliud ſpeciale bonum, cum neutrum tamen praecipitur; ex. cauſſ. ad hoc, vel aliud Evangelicum conſilium amplectendum: exercitii vero libertas ea eſt, qua voluntas hunc, vel illum actum poteſt exercere, licet ad unum numero obiectum ſit determinata. Specificationis libertas reperitur in Beatis, in Deo quoque perfectiſſima, nec Chriſto mortem ſubire volenti deneganda, ubi moriendi praeceptum non urgeret. Urgente enim huiuſmodi praecepto, liber non erat Chriſtus Dominus ſpecificationis libertate, quia voluntas non poteſt opus praeceptum reiicere; ſed liber tantum erat, facta hac hypotheſi, libertate exercitii, quatenus poterat non pergere ex urbe ad locum, ubi facilius poſſet a militibus comprehendi.

---

rio operari? Quis enim actiones eius laude praemioque, vel vituperatione & poena dignas cenſeat? Quis preces in illum, hortationes, minaſve adhibeat? Inſanum plane eſt, quod omnes ſibi perſuadent verum eſſe, inficiari: nihilque magis temerarium fingi poteſt, quam affirmare univerſalem omnium perſuaſionem eſſe meram ignorantiam, *&* praeiudicia, *ut ſentit Spinoſa; aut* deſipientiam, *ut Thomaſius. Igitur veriſſimum cenſeri debet, hominem eſſe praeditum facultate agendi, & non agendi ab omni neceſſitate immuni: quod eſt eſſe liberum.*

DE ANIMI, ET CORPORIS UNIONE ATQUE COMMERCIO.

C A P. VI.

QUum intimo conſcientiae noſtrae teſtimonio nobis conſcii, certique ſimus, quod animus noſter licet incorporeus, & inextenſus in noſtro corpore reperitur, eiuſque motus producit, ac moderatur; viciſſim vero quoniam experimento ipſo, intimoque ſenſu nobis conſcii, ac certi ſumus, quod corporei motus occulta quadam ratione ad animi ſubſtantiam propagantur, ipſumque ad varias ideas determinant; quin etiam male affectis, laeſis, aut quomodolibet impeditis organis corporeis, animus quoque in ſuis operationibus impeditur; compertum etiam, exploratumque nobis eſſe debet, arctiſſimum inter utramque ſubſtantiam, ſpiritalem nimirum, atque corpoream, intercedere commercium. Quae cum ita ſe habeant, explanandum modo eſt, qua lege, quo foedere, quibuſve nexibus utraque coniungatur. Verum cum, Auguſtini (1) ſententia, *modus, quo corporibus adhaerent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus ſit, nec comprehendi ab homine poſſit* (2); proindeque obſcu-

(1) *De Civit. Dei lib.* 21. *cap.* 10.

(2) *Hac potiſſimum in re, inquit S. Doctor Epiſt.* 190. *n.* 16. *alias* 157. *c.* 5., non erubeſcendum eſſe homini confi-

obſcurum ſemper, mentibuſque noſtris impervium ſit, qua ratione animus ipſe in corpus influere, varioſque motus producere in illo poſſit; ſicuti quoque corpus in animum agere, motuſque ſuos ad ipſum propagare, ut mutua quaedam operationum connexio, atque ſocietas habeatur; in tanta rei obſcuritate illuſtriores ſolum cum veterum, tum recentiorum Philoſophorum opiniones proponere, & clariorem inter ipſas, accuratioremque ſeligere contendemus.

Miſſis itaque nonnullorum Platonicorum (1), atque Stoicorum (2) in id argumentum ſententiis, tres dumtaxat praecipuas, quae circumferuntur hypotheſes, exponemus, quarum primam, celeberrimamque condidere Peripatetici, ſtatuentes animum in corpus, & corpus in animum agere *reali*, ut aiunt, *influxu* ſeu *phyſi-*

ce,

confiteri, ſe neſcire quod neſcit, ne, dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur. *Etenim eodem teſte*, ubi res naturaliter obſcura noſtrum modulum vincit, & aperte Divina Scriptura non ſubvenit, temere hinc aliquid definire humana coniectura praeſumit.

(1) *Platonicorum complures triplici vinculo animum cum corpore colligari affirmarunt*, *uno* aethereo, *eoque immateriali*; *altero* aereo, *quo ſpiramus*; *tertio* ex omnibus quatuor elementis conſtituto; *eaque omnia explicare ſtudet Marſilius Ficinus* Theolog. Plat. lib. 18. 4.

(2) *Stoici praeſertim*, *deinde ex Chimicis nonnulli hominem ex* corpore, anima, *&* ſpiritu *conſtare aſſerebant*; *& animam utpote ſubſtantiam mediam*, *eſſe dicebant ipſum vinculum*, *quo ſpiritus cum corpore coniungatur*.

ce, nimirum ex phyſica mutua connexione formae cum materia ; proindeque haec hypotheſis, *influxus phyſici* ſyſtema fuit appellata.

Atque ut rem maiori qua poteſt perſpicuitate tractemus, poſito a Peripateticis, quod *anima rationalis* ſit intrinſecum ac ſubſtantiale principium, quo homo intrinſece perficitur, ut ſubſtantialis ipſius *forma* haberi illa debeat, quod ſane in Viennenſi, & Lateranenſi Concilio [1] fuit definitum ; poſito inſuper, quod integra ac tota animi ſubſtantia tum in toto corpore, ut ipſi putant, tum in ſingulis eius partibus reperiatur [2], ut in aliquibus *vegetativae*, in aliis *ſenſitivae* animae vires exer-

(1) *Id ab utroque Concilio fuit definitum adverſus Philoſophos illos, qui* animam rationalem *nihil aliud eſſe arbitrabantur, quam principium, ac ſubſtantiam quamdam, quae corpori fortuito ſolum, ac veluti extrinſece coniungeretur, eademque prorſus ratione illud afficeret, moveret, moderaretur, qua nauta navim impellit ; & humanum corpus ab Angelo, vel ab alio corpore impelleretur : ita cenſuit Plato in* Alcibiade, *&* Phaedone, *eiuſque ſententiae patrocinati ſunt Cudworthus, & Clericus. Vide Cleric.* Biblioth. Choiſ. tom. 2. pag. 213.

(2) *Ex variis animi operationibus id inferri poſſe exiſtimant. Quum enim in ſingulis etiam externis partibus corporis nutritio, ac vegetatio reperiatur, in omnibus ferme perceptio, atque ſenſatio fiat ; veluti cum manus igni admota aduritur, caloris ſenſatio, doloriſque perceptio ſentitur : & inſuper cum operationes illae ab animo oriantur ; dubitari profecto non poteſt, quin ipſe ſingulas corporis humani partes pervadat.*

exerceat (1) : hiſce, inquam, praeiactis fundamentis, quoniam *formae ſubſtantiales*, proindeque *primi*, ac *ſubſtantiales actus*, ut ipſi aiunt, materiam ſuam perficere debent; & in ipſa ſubſtantialem formam ſibi coniunctam habente; cuncta, quae produci poſſunt, ab eadem forma dimanant, & viciſſim in formam ipſam influere debent; hinc fit, ut animus quoque in materiam ſuam, ſcilicet in corpus agere, & influere poſſit; contra vero corporis motus illum afficere, ac percellere queant. Qua de re corporis, animique coniunctionem, mutuamque operationum dependentiam ex formae ſubſtantialis indole, atque natura repetunt Peripatetici, quorum hypotheſis Sacrae Theologiae dogmatis, experimento, perſpicuiſque rationibus fulciri cenſetur, licet certam ipſi

(1) *Quamquam anima rationalis unica, ſimplex, & indiviſibilis eſt; Peripateticis tamen nonnullis eadem munera, actuſque omnes in humano corpore praeſtare poſſe videtur, qui in plantis, & in brutis a vegetativa, vel a ſenſitiva anima peraguntur. Quum vero a compluribus haec animarum diſtinctio admittatur, ut homines* vegetativa, ſenſitiva, *&* rationali anima *praediti ſint, illarumque ope tria operationum genera poſſint producere; veriſimilius tamen eſt, quod ſimplex animi ſubſtantia inferiorum animarum vires in ſe* virtualiter, *atque* eminenter *complectatur, aliarum vices impleat, actuſque ſingulos exerat; unde plerique Peripatetici, Ariſtotele duce, unicam rationalem animam in humano corpore admiſere, ipſamque, formae ſubſtantialis inſtar, in toto corpore diffuſam affirmarunt.*

ipſi rationem nunquam proferre poſſint, qua illam animi diffuſionem oſtendant [1].

Altera, quae *aſſiſtentiae*, ſeu *cauſſarum occaſionalium* ſyſtema dici conſuevit, a Carteſio [2] inventa, & Nicolao Malebranchio inſtaurata fuit, qui animum in corpus, & corpus in animum non phyſice, ſed *occaſionaliter* dumtaxat agere exiſtimarunt. Cauſſae occaſionales, ut a phyſicis cauſſis diſtinguantur, propria agendi vi deſtituuntur, & occaſionem ſolum agendi praebent; adeoque Carteſii ſententia, corpus non *efficiens*, ſed *occaſionalis* eſt motuum illorum cauſſa, qui in animo excitantur; & viciſſim.

Malebranchius vero a ſolo Deo, veluti *cauſſa efficiente* mutuam hanc corporis, animiquę dependentiam repetebat; utriuſque motus *occaſionales* tantum cauſſas putabat, quibus poſitis Deus corporei cuiuſdam motus in corpore producti occaſione, incorporeum quemdam motum illi conſonum in animo excitaret; ſicuti occaſio-

ne

(1) *Et re quidem vera tum veterum, tum recentiorum Philoſophorum plerique animam in ſolo cerebro veluti ſede collocarunt, cum in illo ſint nervorum omnium origenes; & affectiones omnes, vibrationeſque ſpiritibus animalibus impreſſae ad ipſum deferantur.*

(2) *Carteſius enim eam a ſupremo omnium Conditore legem latam fuiſſe affirmat, ut in homine* occaſione *quorumdam motuum corporis excitarentur in anima ideae; & occaſione idearum mentis, certi quidam motus producerentur in corpore: Malebranchius vero huiuſmodi ſyſtema inſtauravit, cum* Deo *immediate agenti motuum in corpore, & idearum in mente productiones tribuat.*

ne incorporei motus in animo excitati corporeum motum ipſi reſpondentem in corpore [1] produceret.

Tertiam tandem hypotheſim, ſive mutui commercii cauſſam, quod inter animi, & corporis motus reperitur, *harmoniam praeſtabilitam*, ſeu *praedeſtinatam* [2] vocavit Leibnitius, qua neque ex ſolo animi influxu, neque immediata Dei actione, ſed ex ſapientiſſima Creatoris praeordinatione, mutuam inter animum, & corpus proportionem inducentis, fieri arbitrabatur, ut moto corpore, motus etiam in animo producantur; & viciſſim.

Etenim 1. Leibnitius [3] ponit animum vi ſibi divinitus indita motus ſuos, ſuaſque cogitationes exerere inde-

---

(1) *Exinde autem conſequeretur, ut neque corpus in animum, neque animus in corpus ageret, influeretque; ſed in ſolo corpore motus corporei, in ſolo animo incorporei remanerent; adeoque Deus motuum illorum, qui in animo, & in corpore producuntur, efficiens cauſſa cenſendus eſſet.*

(2) Praeſtabilitam, *ac* praedeſtinatam *dixit huiuſmodi harmoniam Leibnitius, quod illa non temere, ac fortuito contingat, ſive a corpore, ſive ab animo oriatur; ſed quod iam pridem a Deo deſtinita, ſancita, & invariabili ratione fuerit conſtituta.*

(3) *Animadvertens Leibnitius*, influxum phyſicum *cum animi immaterialitate non poſſe conſiſtere; ſyſtema autem* cauſſarum occaſionalium, *ſive* aſſiſtentiae *multiplicare miracula, & naturae ordinem ſine neceſſitate perturbare; hanc ſuam de* harmonia praeſtabilita *hypotheſim confecit, quae tandem in lucem edita multos quidem inter Proteſtantes praeſertim nacta eſt patronos, ex eo vel maxime,*

independenter a corpore, idque continua ſerie, ut motus ſecundus ex primo, tertius ex ſecundo fluat. 2. Corpus vi mechaniſmi independenter ab animo motus ſuos, ſuorumque actuum ſeriem producere, perinde quaſi nulli certo animo coniunctum foret: 3. motus vero, qui tum in animo, tum in corpore peraguntur, ideo inter ſe ſimiles, ſibique conſonos eſſe, quod Deus harmoniam quamdam conſtituerit inter corporeos motus, animique perceptiones, ita ut idem omnino contingat, ac

---

xime, quod novum eſſet inventum, divinamque ſapientiam, ſed ſpecie dumtaxat, mirifice videretur extollere. Plures tamen ſunt, qui Leibnitiano ſyſtemati adverſantur; immo etiam viri cordatiores illud ferme negligunt, atque reſpuunt, quod iuxta ipſum in uno, eodemque homine concipienda veniant inter ſe diverſiſſima automata, *unum nempe ſpiritale, quod eſt animus, alterum materiale, quod eſt corpus: haec autem cum magis iuxta ſe poſita, duorum horologiorum inſtar, ut volunt Leibnitiani, quam arctiſſime unita ſint; non apparet, qua ratione in animi* automate *ſubſiſtat libertas, & in actiones corporis derivetur. Accedit etiam, quod in huiuſmodi ſyſtemate non manifeſto patet, atque adeo penitus latet, quomodo ipſa motuum tum ſpiritalium, tum corporeorum perennis, conſtans, & invariabilis ſeries poſſit ſubſiſtere: quinimmo tanquam liberior, & abſurda debet refelli, cum libertatis arbitrio, & voluntatis imperio repugnet, & experimento ipſi adverſetur; conſtat enim, animum motibus in corpore excitatis nonnunquam aſſentiri, nonnunquam vero diſſentiri; ut nulla proinde conſtans, & invariabilis motuum ſimilium ſeries, aut* harmonia *poſſit effingi, qua motui cuidam in corpore excitato, ſimilis alter, & conſonus in animo produci debeat.*

ac ſi corpus in animum, & animus in corpus influeret [1];

Expoſitis iam celebertimis Philoſophorum placitis, quodnam ex ipſis ad veritatem magis accedat, explicandoque corporis, animique commercio ſit accommodatius, reſtat modo inquirendum [2]: quod plane difficul-

---

(1) *Itaque Leibnitius, & Wolfius in eo Malebranchianis aſſentiunt, nullum eſſe reale inter mentem, atque corpus commercium, ſed tantum apparens; verum ut hoc explicarent, non, ut illi, ad Deum confugiunt, ſed ex ipſa animi, corporiſque natura ſecundum praeſtabilitam harmoniam explanare conati ſunt.*

(2) *Interea notandum, ex recentioribus Philoſophis nonnullos pro certo habere, harum trium hypotheſium unam veram eſſe debere, nec ullam aliam excogitari poſſe, ut inquit Hollmann. apud Baumeiſter.* §. 720.: Diverſiſſimae duae ſubſtantiae, ſi in operationibus ſuis conſpirare ſecum debeant, aut 1. una alteram dirigat, moveatque; aut 2. communis inter utramque mediator intercedat; aut 3. utraque in ſuum agat, perpetua tamen cum altero conſenſione, neceſſe eſt. *Quod quidem Bulfinger apud eumdem ibidem hoc exemplo confirmare conatur*: Concipiamus, *inquit*, duo horologia, quae conſonare debeant: res expedita reddi poteſt triplici ratione: una per influxum, ſi fecerimus, ut alterum agat in alterum; idque vel mutua, vel ex unica tantum parte: altera per cauſſas occaſionales, ſi opificem operi comitem fecerimus, qui diſſonantia ceteroquin, vel ceſſatura a motu horologia ſingulis momentis dirigat: tertia, ſi ſapienter ſatis perfecerimus eas machinas artis, ut ſingulae ſuas leges accurate ſervent, eaſdem-

cultatibus adeo luculentis laborat, ut quo maiore cum cura res perpenditur, eo difficultates magis, ac magis augeri videantur. Veriſimilior tamen, & magis recepta eſt vetus illa Peripateticorum de influxu phyſico ſententia: Carteſianorum vero graviſſimis laborat difficultatibus: gravioribus tamen poſtrema Leibnitianorum, & omnino reiicienda.

Et primo quidem univerſum ferme hominum genus intimo, vividoque ſenſu percipit, animum in corpus, & corpus in animum vere agere: ex ipſa autem corporis in animum actione, quam continuis ſenſationibus percipiunt, realem corporis exiſtentiam admittendam eſſe concludunt: haec autem eſt tanquam naturae vox, quam qui non audiunt, deſipere profecto videntur. Itaque communi ferme hominum ſenſui, & naturae voci potius adhaerendum, quam novae hypotheſes effingendae tum inutiles, tum etiam periculoſae.

Et re quidem vera concedamus Carteſianis, corpus non *efficientem*, ſed *occaſionalem* tantum eſſe motuum illorum cauſſam, qui in animo excitantur; quis tamen nitidis rationibus nobis oſtendet, incorporeos animi mo-

---

eaſdemque ab initio ſibi reſpondere curaverimus; ita enim cum ambae eaſdem, vel ſimiles exequantur leges, ſemel harmonicae factae nunquam diſſonabunt. *Fatendum tamen eſt cum clariſſimo viro Antonio Genuenſi, quod ipſarum hypotheſium prima abutuntur pantheiſtae, & Lockiani; Malebranchiana placet enthuſiaſtis; Leibnitiana idealiſtis; Carteſiana mechanicis: incertae tamen omnes.*

motus ad corpus ipſum diffundi, & illud percellere, ac commovere non poſſe? Si Deus licet incorporeus, ac ſimpliciſſimus ſit, corpus tamen cognoſcere, ac movere poteſt; quid igitur vetat, ne Deus ipſe creatis etiam ſpiritibus, animiſque noſtris regendo corpori deſtinatis vim hanc conceſſerit, ut in corpus ſibi coniunctum agere phyſice, vereque influere, ipſumque movere poſſent [1]? Inde ergo patet, nos quidem ignorare huius actionis leges; hanc tamen veram, phyſicamque corporis, animique mutuam actionem, nemo impoſſibilem; aut falſam eſſe demonſtrabit [2]; adeoque ſine ulla neceſſitate Carteſianorum, & Leibnitianorum hypotheſes effinguntur, quae ſane nec facilius intelligi, nec ſine ullo

(1) *Id etiam corporis, animique coniunctio fere poſtulare videtur; quamvis enim corpus, quod eſt inferior hominis, ſeu compoſiti phyſici pars, cui rudiores ſolum agendi vires fuerunt conceſſae, in nobiliorem aliam, in animum nempe influere nequeat; hic tamen in corpus ſibi coniunctum phyſico, vereque influxu agat oportet; alioquin nobilior, atque vividior hominis pars nihil a corpore hac in parte diſtingueretur. Accedit etiam, quod ſi animus phyſice in corpus non ageret, corporiſque motus non animus, ſed Deus produceret, ius, & imperium in corpus animo conceſſum, quo ipſum moderetur, ac regat, vix, ac ne vix quidem intelligi poſſet.*

(2) *Quum communis omnium hominum ſenſus ſit, animum humanum imperium in corpus habere, in illud influere, vi & voluntate moderari; qui ab ea velit deſciſcere ſententia, perſpicue debet oſtendere, eſſe illam aut impoſſibilem, aut falſam: alioquin ineptus ſit oportet, qui a tam vivido, atque perſpicuo diſſentiat conſcientiae teſtimonio.*

ullo periculo poſſunt propugnari. Carteſianum etenim; atque Leibnitianum ſyſtema philoſophicam de corporum exiſtentia certitudinem penitus evertit; cum in hypotheſi cauſſarum occaſionalium Deus, non corpus humanum in animo ſenſationes producat; in hypotheſi vero harmoniae praeſtabilitae animus natura ſua, nulli etiam corpori coniunctus iiſdem afficeretur ſenſationibus, ac ſi corpori coniungeretur; quae quidem hypotheſes purum putumque ſapiunt *idealiſmum*, quo omnis materiae tanquam inutilis exiſtentia negatur. In hunc profecto abſurdiſſimum errorem, Carteſii, & Leibnitii aetate, complures prolapſi; & in alio abſurdiore, quem *egoiſmum* vocant, verſati ſunt nonnulli, propriam dumtaxat ſui ipſius exiſtentiam certo cognitam eſſe effutientes.

Hactenus de difficultatibus utrique ſyſtemati communibus. Gravioribus tamen incommodis Leibnitianum laborat. Nam eum in huiuſmodi ſyſtemate animus tanquam *automaton* ſpiritale, corpus vero tanquam *automaton* materiale concipiatur; motus corporei nequaquam a voluntate penderent, unde forent abſolute neceſſarii: neceſſarii quoque forent voluntatis humanae motus, qui cum motibus corporeis, harmonia quadam, ſine ulla tamen dependentia colligati, ac coniuncti finguntur. Exinde autem conſequeretur, corpus inter, & animum nullum eſſe commercium; cuius quidem intimo, vividoque ſenſu conſcii, certique ſumus; illudque non minus luculenter novimus, quam proprii corporis exiſtentiam.

Ita-

Itaque qui Leibnitii hypotheſim admiſere, veram, perfectamque libertatem ex homine ſuſtulerunt; quod quidem, aliaque abſurda ex ſua hypotheſi dimanantia cum Leibnitius ipſe animadverteret, ſe hypotheſim illam non ſerio, ſed ioco tantum propoſuiſſe, ingenue his verbis teſtatus eſt(1): *neque Philoſophorum eſt, rem ſerio ſemper agere, qui in fingendis hypotheſibus ingenii ſui vires experiuntur* (2). Quae cum ita ſe habeant, manifeſtum igitur eſt, recentiores quoſdam Philoſophos in exponenda mirifica illa, humano intellectui penitus impervia, ſolique Deo probe perſpecta corporis, animique ſocietate, nihilo feliciores veteribus; ſed ſi aperte loqui fas eſt, audaciores fuiſſe (3). DE

---

(1) *Ita enim ſcripſit ad Pfaffium.*

(2) *Wolfius etiam, quo nemo accuratius in Leibnitiani ſyſtematis penetralia inquiſivit, illud non habet, niſi loco* hypotheſis, *ut videre eſt in* Pſychol. Rational. ſect. 3.; *&* hypotheticam *commentationem ſuam inſcripſit Bilfingerus, atque incertitudinis conſcius monet in praefatione lectorem Plautinum illud:* optio haec tua eſt; utram harum vis conditionem accipe. *Neque putandum eſt alio loco a Leibnitio ipſo habitum ſyſtema, qui ut erat acerrimi ingenii, ignorare certe non potuit, quinam ſint certitudinis characteres. Auctoribus igitur ipſis* harmonia praeſtabilita *hypotheſis eſt, non aut perceptum, aut demonſtratum theorema. Nam quae eiuſmodi ſunt, alios evidentiae, & certitudinis characteres praeſeferunt, quibus, literata omni Republica iudice, Leibnitianum ſyſtema deſtituitur.*

(3) *Non minus imperite, quam audacter Materialiſtae quaerunt, qua de cauſſa corpori animus uniatur; quaſi vero nos*

DE DEO, SEU THEOLOGIA NATURALIS.

SECTIO II.

AD eam tandem venimus praeſtantiſſimam diſciplinam, quae Deum veluti naturae auctorem, primamque rerum omnium cauſſam ſolo rationis lumine con-

---

nos Divinorum conſiliorum rationem adſequi vel poſſemus, vel deberemus: attamen ut nihil ſe ſe opponere videant, quod rationum momentis confutari haud poſſit. D. Gregorium Nazianzenum in Apologetica *orat. I. num. 33. hac de re ita praeclare diſſerentem audiant:* Cuius rei multae quoque aliae fortaſſe cauſſae ſunt, quas ſolus Deus, qui haec adſtrinxit, cognitas & exploratas habet, aut ſi quis huiuſmodi myſteriorum ſcientiam divinitus eſt conſequutus: quantum autem ego, meique ſimiles argumentatione adſequimur, duplici cauſſa id factum eſt: altera, ut per concertationem, & colluctationem cum rebus inferioribus ad ſupernae gloriae haereditatem perveniat (rebus ſcilicet fluxis, & fragilibus, non ſecus atque aurum igne probata, & explorata) eaque, quae in ſpe poſita ſunt, non ſolum ut Dei beneficium, ſed ut virtutis praemium obtineat. Quod etiam ipſum ſummae, ac ſingularis Dei bonitatis argumentum eſt, nimirum facere, ut virtus noſtra quoque aliqua ex parte ſit, nec natura tantum nobis inſeratur; ſed etiam per voluntatem, liberique arbitrii in utramque partem agitatione excolatur. Altera rurſus, ut deteriorem quoque partem craſſitie ſua paullatim ſolutam ad ſe pertrahat, atque in

contemplatur, quaeque proinde Theologiae naturalis nomine inſignitur. Theologia iuxta Graeci nominis vim eſt Λογὸς τοῦ Θεοῦ, ſive ſermo de Deo, cuius nobiliſſimae, ac praeſtantiſſimae ſcientiae ampliſſimus quidem eſt uſus; ipſa enim facili negotio aditum aperit ad uberiorem illam divinarum rerum cognitionem, quae in Theologia ſupernaturali divinae Fidei, naturaeque luminibus una copulatis acquiritur, iuris naturalis principia continet, ſceleſtiſſimi in ipſa tum veteres, tum recentiores Athei confutantur, qui Deum aperte negant, excuſſoque auctoritatis Eccleſiaſticae iugo, Philoſophicis facultatibus abutuntur, ut ſuos tueantur errores. Si igitur forte nobis occurrant huiuſmodi homines adeo inſipientes, ut dicant in corde ſuo, non eſt Deus; eos pro virili parte compellendos cenſemus, ut ab illo, quo miſerrime torpent, veterno excitentur, & abſurdum ſimul, impiumque errorem eiurent.

DE EXISTENTIA DEI

CAP. I.

IN ſupremi Numinis, primaeque cauſſae nomine explicando, nulla unquam opinionum varietas, & controverſia fuit, cum in illo omnes ita conſpirent, ut

in ſublimi collocet, ut quod Deus eſt animae, anima ſit corpori, poſteaquam ſcilicet materiam, qua miniſtra utitur, domuerit, conſervumque ſuum Deo adduxerit.

ut non ii ſolum, qui Deum exiſtere conſtantiſſime credunt, ſed illi etiam, qui ſe atheos profitentur, nihil aliud hoc ipſo Dei nomine intelligunt, quam ens illud, quod a ſe ipſo neceſſario, eſſentiaque ſua independenter ab alio ita exiſtit, ut ab illo res omnes, quae exiſtunt, libere, conſultoque productae ſint, & conſerventur. Quae cum ita ſe habeant, facile enodatur celeberrima illa de exiſtentia Dei controverſia (1), qua nulla gravior, atque praeſtantior a Philoſophis inſtituitur, ac pertractatur. Dei itaque exiſtentiam, quae eſt primum, ac praecipuum Chriſtianae Religionis, ſaniorisque Philoſophiae fundamentum, probandam aggredimur hoc inviĉtiſſimi roboris argumento, cujus auctor fuit

(1) *Graviſſimam hanc quaeſtionem fuſe, eleganterque tractavit Carolus Vitaſſe lib. 1. art. 4. p. 321. argumentis metaphyſicis tribus, quorum primum ducit ex ente neceſſario, ac contingenti; ſecundum ab exiſtentia actuali, quae in idea clara ac diſtincta Dei continetur; tertium ex ipſa Dei notione ſumit in nobis inſita. Duobus quoque phyſicis argumentis idem probat; primum petit a creatione univerſi; ſecundum a ſuprema mente cuiuslibet inferioris fonte. Quatuor tandem id evincit moralibus argumentis, quae aut ad mores ſpectant, aut non tam ducuntur ex continua unius cuiuſdam, ac ſimplicis notionis, & ratiocinationis ſerie; quam ex intuitu plurium ſimul rerum, quae viri cuiuſque prudentis iudicio rem propoſitam, ſi non ſingulae, ſaltem collectae & in unum coniunctae certo conficiant, & ab omnibus ſanae mentis hominibus aſſenſum extorqueant.*

Digitized by Google

ſuit maximus Scholarum princeps Divus Thomas Aquinas [1].

(1) *Hic autem illud monendum eſſe putamus, non ea de cauſſa nobis conſtituiſſe contra Atheiſtas, ac Deiſtas, aliorum teſtimonia, praeſertim vero SS. Patrum proferre, ut adverſus eos Doctorum auctoritate pugnaremus. Nam ſicuti neminem latet, ita & nos haud ignoramus, contra huiuſmodi homines, qui auctoritatem omnem, licet arroganter prorſus, & impie contemnunt, ipſaque ratione deliria ſua ſe tueri inepte confidunt, hoc argumenti genere, quod ex auctoritate ducitur, minime eſſe concertandum, ſed ratione potiſſimum inſanos illorum errores eſſe refellendos. Hinc rationem, quam contra ipſos in ſe continent ea, quae afferemus, teſtimonia, iiſdem praeſertim obiicimus; fateantur enim oportet, rationi ſe nullo pacto repugnare poſſe, ſemel ac ad iudicium rationis appellarunt. Verum enim vero quo tandem ore hominum ſapientiſſimorum, qui maxima floruerunt eruditione, & in omni ferme diſciplinarum genere verſati fuere, auctoritatem deſpicere poſſunt? Nonne vitae probitas ſingularis una cum ampliſſimo doctrinae apparatu ſi in aliquo effulgeat, recta ratio poſtulat, ut eius auctoritati plurimum deferamus? Quam praecellens vero fuit, & omnino admirabilis vitae probitas, quam acuta excogitandi ratio, ſubtilis ratiocinandi vis, ingenioſus concludendi modus, late ac fere ubique diffuſa per omnia doctrinae genera SS. Patrum eruditio, quorum teſtimonia interdum laudamus? Anne cum iis noſtrae huiuſce aetatis male philoſophantes homines ſe ſe poſſunt comparare? Ut ergo ſimul ratione ipſa, atque auctoritate confunderentur, & nihil fere in medium ſe protuliſſe noſcerent, quod non ab antiquioribus impiis hominibus excogitatum, & a SS. Doctoribus abunde confutatum non fuerit; hanc methodum nobis propoſuimus. Sed &*

Ethni-

Quilibet vel mediocri ingenio praeditus, adhibitaque vel mediocri attentione facillime intelligit, non omnia coepiſſe in tempore, nec incipere potuiſſe. Si enim omnia temporanea fuere, aliquando igitur nihil fuit; ſi aliquando nihil fuerit, etiam modo nihil eſſet; nam quae modo exiſtunt, undenam originem trahere potuiſſent? Ex nihilo? Quis unquam hoc dixerit? A ſe ipſis? Sed evidens pariter eſt, nihil poſſe producere ſeipſum, cum id contradictionem involvat: etenim quod producit, eſt; quod producitur, non eſt; adeoque quod producit ſe ipſum, ſimul eſſet, & non eſſet: at id omnes repugnare fatentur; ergo admittendum ens aliquod ab aeterno exiſtens, omnium rerum cauſſa, & totius Univerſi principium; & hoc quidem eſt, quod Dei nomine intelligimus. Haec profecto trita eſt via, quam Theologi omnes, atque Philoſophi ingredi ſolent, ut ex operibus Opificem agnoſcamus; idque perpetuum fuit argumentum, quo uſi ſunt tum ſacri, tum profani Scriptores, ut veri Dei notitiam ingererent, & in omnium animis excitarent: *Inviſibilia* enim *ipſius*, inquit Apoſtolus [1], *a creatura mun-*

Ethnicorum quoque, aliorumque, qui in numerum SS. Doctorum nullo modo referri poſſunt, auctoritatem ſubiiciemus, tum ut evidentius agnoſcant, ſolo rationis lumine ſuos errores fuiſſe detectos, tum ut videant, ab omnibus cunctarum religionum hominibus ut prorſus falſa, ipſa praelucente evidentiſſima ratione, habita fuiſſe, quae ipſi nequiter confinxere.

(1) *Ad Rom. c.* 1. *v.* 20.

mundi per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas.

Plurima quoque Philoſophorum, Poetarum, & Oratorum in hanc rem teſtimonia referuntur a Lactantio (1). Nos vero unius Tullii auctoritate contenti erimus, qui eleganter, ut moris eſt, ita ſcribit (2): *Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos caeli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa, & apta viderit, neget, in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quae quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus? An cum machinatione aliqua moveri aliquid videmus, ut ſphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera ſint rationis? Cum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias cum ſumma ſalute, & conſervatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam, divinaque ratione?*

Hoc Ciceronis teſtimonium viam parat alteri argumento ex conflictu rerum univerſali deducto. Inſignis adeo eſt in Univerſo rerum conflictus, ut nunquam fere vacemus vaſtationibus morborum, incendiorum, terraemotuum, alluvionum, ceterarumque tempeſtatum: tantus autem, ac tam atrox rerum conflictus, cur nihil detrimenti afferat Univerſi conſtantiae, ac diuturnitati, expedire certe non poſſumus, *niſi praeſtantior aliquis ſit,*

(1) *Lib. 1. Divin. Inſtitut.*
(2) *Lib. 2. de Nat. Deor.*

ut ſcribit S. Athanaſius [1], *& ſummus moderator, ac Dominus, qui iſta omnia invicem confligentia, & contraria ſaciet, cui elementa ipſa, veluti hero famuli, ad nutum obtemperent, ac cedant.*

Accedit etiam, quod illarum rerum, quarum una ab alia gignitur, cujuſmodi multa ſunt in eadem mole, homines, bruta, plantae &c. lex eſt nemini obſcura, ut caput habeant in ſpecie qualibet ſua, a quo tanquam familiae a ſtipite, ut aiunt, ſuo procedant. Id autem perſpicue ducit nos in Naturam omnium principem, tanta ſapientia, ac potentia ornatam, ut potuerit ſingulis, quidquid habent, vitam, vires, formam, leges liberaliter elargiri; cum nulli ejuſmodi capitum ſine inſigni inſipientia tribuere poſſimus, ut ſemetipſum produxerit.

Alterum vero non minoris plane momenti, novumque, aut novi ſpeciem praeſeferens argumentum nobis proponit doctiſſimus Blaſius Paſchalis, qui ita Dei exiſtentiam demonſtrat. Si profiteamur Deum eſſe, ejuſque leges, ut decet, obſervemus; ſi forte Deus non exiſtat, quod abſit, ut cogitetur, nullum periculum ſubimus, immo honeſtae, ſapienterque inſtitutae vitae ratione fruimur; ſi vero negemus Deum eſſe, omnemque proinde Religionem deſpiciamus; ſi forte Deus exiſtat, periculum certe ſubimus, quo nullum gravius eſſe poteſt, atque in infamiam hominum vitam bellua-

rum

(1) *Lib. contra Gentes.*

rum more degentium apud ſapientes quodlibet incidimus. Quiſquis igitur de hac veritate deliberat, in bivio eſt; a dextris nullis obnoxia periculis via ſeſe exhibet; a ſiniſtris quae obiicitur via, maximis non vacat periculis. Quapropter ſi utraque vitari nequeat, & ſecunda nullum commodum afferat praeter breviſſimam voluptatem, quae cum periculi magnitudine nulla prorſus ratione poteſt comparari, & cuius initium tantum diſtat ab exitu, quantum vita a morte; furor ergo eſſet hanc ſecundam primae anteferre. Itaque maniſeſtiſſime patet, exiſtere Naturam quamdam ſummam a ſe ipſa ſubſiſtentem, vi, & ſapientia infinita ornatam, a quo omnia condita fuere, & conſervantur.

Inſurgunt Athei temere, impieque aſſerentes; evidentem in eo non eſſe repugnantiam, quod mundus, quaeque in illo ſunt corpora, ex fortuita atomorum concurſione concreverint; ſi autem id non repugnat, nullam eſſe rationem, cur non hoc potius, quam alio modo facta reipſa fuiſſe dicantur. Verum, ut cum Lactantio (1) loquamur, *quanto melius fuerat tacere, quam in uſus tam miſerabiles, tam inanes habere linguam. Et quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui haec putet refellenda. Reſpondeamus tamen velut aliquid dicenti.* In primis ergo illud ab atheis quaero cum Tullio (2), cur, ſi volunt, naturalia quaeque compoſita, ipſumque mundum ornatiſſimum atque pulcherrimum ex temere con-

(1) *Lib. de ira Dei cap. 10.*
(2) *Lib. 2. de Nat. Deor.*

concurſantibus atomis non ſolum fieri potuiſſe, ſed factum revera eſſe; cur, inquam, ipſi quoque non dicant, *ſi innumerabiles* [Tullii verba ſunt] *unius, & viginti formae literarum vel aureae, vel quales libet, aliquo coniiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici?* Id profecto minus, quam unum vile animalculum, ne dicam, quam tota ipſa mundi machina, operoſum eſt. Si autem velint, annales Ennii hoc modo ex illis formis poſſe fieri, [ego tamen ignoro cum eodem Tullio, *an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna*] ſcire cuperem ab atheis, cur non Ennii annales, ſed unus Virgilii verſus nunquam hac ratione effectus ſit, licet fortuita typographicarum formarum concurſio infinities plane hactenus contigerit.

Secundo, ut egregie argumentatur (1) ille idem vir ſummus, *ſi mundum* efficere poteſt concurſus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt, quae ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora? Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem caeli ornatum, qui Dei gloriam aenarrat, ſuſpexiſſe videantur.

Tertio licet detur atheis, corpora ſenſibilia, ſi diviſim ſpectentur, ex fortuita atomorum concurſione potuiſſe coaleſcere; nemo tamen erit, qui ex animo con-

(1) *Lib. 2. de Nat. Deor.*

concedere eiſdem queat, fortuito fieri potuiſſe, ut tot non diſſimilia ſolum, verum etiam plane contraria corpora conſpirarent in unum, unitatemque ſervarent perpetuo, ac tuerentur. Conſtans enim effectus conſtantem habeat cauſſam neceſſe eſt, & eo quidem maxime, cum de contrariorum concordia agitur. Contraria quippe cum natura ſua pugnent inter ſe, ſibique invicem adverſentur, tantum abeſt, ut in unum conſpirare fortuito poſſint, atque pro viribus tendere, quin potius eo niti debere videantur, ut compagem, quamprimum habetur, diſſolvant penitus, planeque perimant. Itaque non caſu facta tanta partium mundi concordia eſt; ſed ipſam ex uno ſupremo Moderatore derivent & ipſi athei, velint nolint, oportet.

Certum poſtremo eſt, primigenia illa corpuſcula, ex quibus aiunt athei, effectum eſſe caelum, atque terram, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito, infinitis plane modis, ſi eorum ſpectetur natura, inter ſe combinari ita poſſe, ut ad nullam certam combinationem per ſuam naturam ſint determinata. Componi ergo nequeunt uno potius, quam alio modo ex innumeris, qui pro eodem inſtanti ſunt ex aequo poſſibiles, quin detur ratio, cur hoc potius modo, quam alio uniantur ſimul, & in unum concreſcant; proptereaque quin exiſtat externa quaedam cauſſa intelligens, ac ſumme potens, quae ad hanc, quam modo habent, potius quam ad aliam aeque poſſibilem combinationem, atque texturam corpuſcula illa determinaverit. Neque valet,

quod

quod inquiunt, primigenia ſcilicet illa corpuſcula fortuito fuiſſe ad unam combinationem determinata. Id enim docere, ac pugnantia ſimul tradere, perinde eſt. Etenim quid aliud eſt, ea corpuſcula ad unam certam texturam determinari fortuito, niſi paſſivam ſubiecti indifferentiam tolli ſine determinante; determinatumque haberi effectum, quin detur cauſſa, a qua producatur? Ceterum ea ipſa, quam uſurpant athei, ratione iugulantur. Aſſeverant ipſi, *non repugnare, ut factus fuerit mundus ex fortuita atomorum concurſione; & ſi non repugnat, nullam eſſe rationem, cur hoc modo reipſa factus non fuerit*. At in ipſos ita hoc idem urgetur argumentum: *non repugnat, ut exiſtat cauſſa plena rationis, quae ad eam combinationem, quae nunc habetur, primigenias atomos determinaverit; ergo iſtiuſmodi cauſſa reipſa exiſtit*. Nulla enim eſt ratio, cur, ſi talis cauſſa non repugnet, ea reapſe non habeatur; quemadmodum non aliam ob cauſſam, ſtulto atheorum iudicio, mundus fortuito factus eſt, niſi quia non repugnat, ut hoc modo prodierit; nec ulla ratio eſt, cur, admiſſa hac non repugnantia, non ita factus fuiſſe dicatur. Ergo cum Lactantio [1] concludendum: *Vides, in quae deliramenta inciderint,* [athei] *dum nolunt effectionem, curamque rerum Deo dare. Nemo certe illa praeter unum Leucippum ſomniavit, a quo Democritus eruditus haereditatem ſtultitiae reliquit Epicuro.*

Ita-

(1) *Lib. de ira Dei cap.* 10.; & *lib.* 3. *Divin. Inſtitut. cap.* 17.

Itaque ex hactenus demonſtratis inferri poſſe videtur adverſus impium *Cogitationum Philoſophicarum* auctorem; 1: nullam atheos de ſuo errore excuſationem habere poſſe [1]; 2: Dei exiſtentiam adeo certam eſſe; ut de ea tranquillo animo nemo unus ſuſpenſus remanere poſſit [2]; 3. conſuetudinem, quam pueri de exiſtentia Dei praemature admoneri conſueverunt, non ſolum eſſe ſanctam; diligentiſſimeque ſervandam; ſed etiam nihil praeter rectam rationem continere [3]: Qui-

---

(1) Cogitationum Philoſophicarum *auctor* §. 29. *id tantummodo ab atheis exigi poſſe falſo dicit, ut veritatem inquirant; ceterum ſi hanc non inveniant, culpae eis imputandum non eſſe. Quid? Anne illud ignorare poſſunt innoxie, de quo & ab ipſa natura monentur, & manifeſta ratione certi eſſe debent, atque ex gentium conſenſione dubitare nequeunt? Quid? Excuſandi ne erunt, ſi, ut liberius vivant, ipſumque mali timorem a ſe avertant; reclamante conſcientia; id negent, de quo ipſi haud convicti eſſe non poſſunt?*

(2) *Si Deus exiſtit, uti revera exiſtere certiſſimum eſt, quaenam athei ſibi timere non debent? Stoicus ergo, qui de divina quoque exiſtentia dubitat, quietus, atque tranquillo animo eſſe nullo modo poteſt; contra ac auctor* Cogitationum Philoſophicarum §. 28. *contendit*:

(3) *Id quoque negavit idem* Cogitationum Philoſophicarum *auctor* §. 25. *Verum unde rationi conſentaneum erit, ut de iis, a quibus temporale aliquod detrimentum accipere poſſunt, pueri mature moneantur; praeter rationem vero; ut de ſupremo naturae Auctore, a quo omnia receperunt, certiores fiant? Nonne Creatori prima ſuae rationis lumina debent? Nonne ipſe eſt unicus eorum finis; atque* prin-

Quibus omnibus & illud adiiciendum, non minus rectam rationem ſuadere, quam communem poſtulare utilitatem, ut homines curas omnes ſuas, atque ſtudia in eo conferant, ut ſupremi Numinis exiſtentiam rationibus, quam fieri poteſt, firmiſſimis conſtituant, evincant, atque demonſtrent. Hinc eſt, ut impudentia illorum atheiſtarum nullo pacto ferri poſſit, qui hoc ſtudiorum genus uti temerarium, atque perniciofum [1]; vel ad ſuſcitandas aliorum offenſiones magis, quam ad bonum curandum [2] accommodatum, impie traducunt [3].

DE

---

principium? Nonne cultu, ac veneratione eum proſequantur oportet? Nec obſtat, quod ob rationis defectum de hoc ſummo Bono ea omnia noſſe nequeant, quae ad maturiorem aetatem provecti, uſumque rationis aſſequuti noviſſe debent; dum enim in qualibet diſciplina inſtituuntur, hoc eiſdem contingit: nemo tamen inferre inde poterit, contra rationem eſſe, ut pueri in diſciplinis mature inſtituantur. Quid? Nonne vel grandiores facti, atque etiam aetatem maturam aſſequuti, ſi alicui diſciplinae incumbant, non ſtatim, ſed poſt longas curas atque labores illius praecepta aſſequi poſſunt? Nemo igitur erit, qui aliqua in re inſtituendus ſit. Quapropter ſi ratio ipſa exigit, ut pueri in rebus utilibus inſtituantur; quo potiori iure de rebus neceſſariis edocendi erunt, atque ita illorum infirmitas adiuvanda? Quid vero magis neceſſarium, quam ſupremi Creatoris cognitio?

(1) *Haec fuit Evremondi ſententia in Opere inſcripto:* Jugément ſur les ſciénces T. I.

(2) *Ita ſentit Voltaereus* Epiſtolarum Philoſophicarum *Epiſt.* 25.

(3) *Evremondus, atque Voltaereus eo impietatis devenerunt, ut*

DE ESSENTIA DEI.

CAP. II.

QUo facilius, quod ſit, eo difficilius, quid ſit Deus, oſtenditur. *Roges me*, inquit Tullius, *quid, aut quale ſit Deus? Auctore utar Simonide, de quo cum quaeſiviſſet*

ut occultari velint cognitionem, immo & memoriam deleri illius Religionis, cuius praecepta [*uti Auguſtinus de Civitate Dei lib. 2. cap. 19. Paganis reponebat, mala, quae patiebantur, Chriſtianae Religioni tribuentibus*] de iuſtis, probiſque moribus ſi ſimul audirent, atque curarent Reges terrae, iuvenes, & virgines, ſenes cum iunioribus, aetas omnis capax, & uterque ſexus, & quos Ioannes Baptiſta alloquitur, exactores ipſi, atque milites, & terras vitae praeſentis ornaret ſua felicitate Reſpublica, & vitae aeternae culmen beatiſſime regnatura conſcenderet. *Et re quidem vera quidnam magis execrandum, & a recta ratione alienum concipi, aut excogitari poteſt, quam velle, ut homines ad id demonſtrandum non intendant, quod iiſdem ſine maximo detrimento eſſe nequit occultum?* Haec enim, *inquit ſuperius laudatus S. Doctor Tract. 106. in Ioann. num. 4.*, eſt vis verae Divinitatis, ut creaturae rationali iam ratione utenti non omnino ac penitus poſſit abſcondi. *Itaque licet ſtudia eorum improbare, qui in demonſtranda primae, atque univerſalis Cauſſae exiſtentia adlaborant, & ineptis, falſis, impiiſque ratiocinationibus Religionem omnem delere conentur iſti, ut ſibi videntur, Philoſophi; conari quidem, quod faciunt audaciſſime, adſequi tamen, ratione, atque natura reclamantibus, nullo pacto poterunt.*

viſſet hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi cauſſa ſibi unum diem poſtulavit. Cum idem ex eo poſtridie quaereret, biduum petivit. Cum ſaepius duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero requireret, cur id faceret: quia quanto, inquit, *diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior* (1). Itaque etſi Dei Eſſentia, *qui lucem inhabitat inacceſſibilem* (2), ſapientum virorum iudicio, tenues humanae mentis vires adeo excedit, ut ab ea comprehendi certe non poſſit (3), quod quanto diutius haec infinita Dei Natura exploratur, tanto obſcurior, & ſublimior appareat; ex innumeris tamen Dei attributis illud facile inquiri, ac demonſtrari nunc poteſt, quod ceterorum ſit tanquam fons, & origo, cuius ope Deus ipſe veluti perſpicuo, certoque diſcrimine, & charactere a rebus omnibus ſecernatur, & in quo poſita ſit Eſſentia divina (4). Ut

haec

(1) *Tullius lib. 1. de Nat. Deor.*

(2) *Ep. 1. ad Timoth. 6. 16.*

(3) *Tanta olim fuit Eunomii, eiuſque aſſeclarum inſania, tanta arrogantia, ut palam ac publice gloriarentur, ipſam Dei Eſſentiam accurate ſe noſſe, eamdemque de Deo ſe habere notitiam, quam Deus ipſe habet: ſtultam ſane, indignamque homine ſententiam! in quam invecti ſunt omnes illius aevi Patres, Baſilius* lib. 1. contra ipſum; *Gregorius Nyſſenus* lib. 12. in eumdem; *Gregorius Nazianzenus* Orat. 34.; *Cyrillus Jeroſolymitanus* Catecheſi 6.; *Chryſoſtomus* variis *in Eunomii Diſcipulos Anomaeos* Orationibus; *Theodoretus* Dialogo 1.

(4) *Etiamſi omnia, quae ſunt in Deo, ſint ipſemet Deus, ac proinde quid unum, & idem; multa tamen in ipſo*

men-

haec igitur, quantum mortalibus licet, accuratius exponatur, de huiuſmodi charactere, atque diſcrimine breviter erit agendum.

Quidquid ſenſerint Theologi, atque Philoſophi nonnulli, qui Dei Eſſentiam in hoc uno collocandam eſſe autumarunt, quod Deus ipſe infinitum perfectionum cumulum in ſe complectatur (1); quidquid plures alii exiſti-

mente fecerimus, atque in iis aliquid agnoſcimus, quod veluti primarium ſit, & ex quo veluti ex fonte caetera derivari cogitentur. Id porro Eſſentiae Divinae gradus conſtitutivus *in Scholis appellatur. De hoc autem, quo Deus conſtitui, & a ceteris praeſertim diſtingui dicitur, tres potiſſimum circumferuntur ſententiae.*

Prima, eaque apud Theologos communis, quam & nos amplectimur, ut inferius patebit, decernit, Divinam Eſſentiam in Aſeitate, *ut aiunt, eſſe ſtatuendam: ita praeter Capreolum, Banneſium, & Ledeſmam, Contenſonius* Diſſert. 2. cap. 2. &c.

Altera, quae Scoto in 1. diſt. 3. quaeſt. 1., *eiuſque diſcipulis arriſit, Dei Eſſentiam in* Infinitate *collocat.*

Tertia, quae in Thomiſtarum Scholis praecipue viget, eamdem in Intellectione *poſitam eſſe arbitratur.*

(1) *Haec ſane pulcherrima Divini Entis idea veriſſima cenſenda eſt, cum infinitus perfectionum cumulus non alteri, quam primae, ſupremaeque Cauſſae conveniat. Sed cum hoc loci infinitae Dei perfectiones nondum ſint demonſtratae, & in iis ſeries quaedam ab intellectu noſtro concipiatur, ut una ab alia oriri ac deduci, omneſque ſimul ab aliqua, tanquam a ſuo principio manare videantur; a Philoſophis, ac Theologis quaeritur, quaenam ſit ex hiſce perfectionibus veluti aliarum cauſſa, & origo,* qua

ſtimaverint, qui cum duplicem agendi vim, intellectum ſcilicet, & voluntatem admittendam eſſe obſervaſſent, Dei Naturam in intellectu [1], aliique in intellectione,

---

qua Dei Natura poſita ſit, ut Deus ipſe a qualibet alia re diſtinguatur. Quod autem infinitas *non conſtituat Divinam Eſſentiam, ex eo vel maxime conſtat, quod haberi non debeat ut* gradus *Eſſentiae Dei* conſtitutivus *quidquid ab alio fluit. Atqui infinitas ab alio, ſcilicet ab exiſtendi neceſſitate dimanat; etenim Deus infinitus eſſe cenſetur, quia eſt a ſe; ens enim a ſe perfectiones poſtulat infinitas, quia nec a ſe ipſo, nec ab alio ullos perfectionis limites habere poteſt: ergo Infinitas Eſſentiam Dei non conſtituit.*

(1) *Non eſt in Intellectu Eſſentiae Divinae character reponendus. Etenim gradus eſſentiae conſtitutivus duplici praeſertim conditione praeditus eſſe debet; primo enim oportet, eum eſſe quid in illa re primum, nec ab alio derivatum; ſecundo fontem atque originem proprietatum, quae in ipſa reperiuntur. Atqui duo haec deſunt intellectui, ſeu intelligendi facultati; nam primo quidem haec intelligendi vis, cum cogitatur Deus, prima in mentem haud venit: immo vero ut in ceteris, ſic in Deo naturam ipſam iam in ſuo* eſſe *conſtitutam ſupponit; ante enim res concipitur eſſe, quam hanc, vel illam agendi facultatem habere; nam ut actus ſupponit potentiam, ſic potentia eſſentiam, a qua profluat. Secundo iſthaec eadem intelligendi vis non eſt fons & origo aliorum omnium, quae in Deo agnoſcuntur. An etenim Deus immenſus eſt, vel omnipotens, quia intelligendi vim habet? Anne legitima eſſe poterit iſta conſequutio: Deus eſt intelligens; ergo infinitus eſt, immutabilis? &c. Itaque manifeſto patet, Eſſentiam Dei in intelligendi vi, tanquam ſuo charactere, minime conſtituendam fore.*

Google

ne [1], ſive actu, quo intelligendi vis exeritur, conſtitutam eſſe pronunciarunt; illorum tamen ſententia magis arridet, qui perſpicuum hunc characterem, quo Deus ipſe a ceteris entibus diſtinguitur, eſſe putant Neceſſitatem, qua Deus exiſtit, ſeu independentiam, quam Scholaſtici *Aſeitatem* barbaro vocabulo appellant, quaeque ita neceſſario ipſi convenit, ut alteri convenire certe non poſſit. Dei itaque Eſſentia in hoc uno poſita eſt, ut Deus ſit Ens neceſſarium, ens, quod a ſe ipſo exiſtat, ens ab alio quolibet independens. Quod plane ad ſentiendum de ipſo magnifice ac ſplendide, ceteraſque in eo perfectiones ſtatuendas, valere plurimum affirmant ſapientiſſimi quique, inter quos nonnemo accuratam Dei ideam, iuxta infirmitatem noſtram, hanc eſſe ſcribit: *Deus eſt Spiritus Independens*. Quod ut magis eluceſcat; ens omne, ut ſuperius probavimus, in rerum natura 1. exiſtit contingenter; 2. ab alio ſemper produci, ac pendere debet; unde entibus creatis nullo pacto poteſt independentia competere: ſoli Deo ne-

(1) *Iiſdem fere momentis, quibus oſtendimus, Divinam Eſſentiam reponendam minime eſſe in intelligendi facultate, ne eſſe quidem collocandam in intellectione actuali comprobatur. Primo enim intellectio actualis non eſt quid primum in Deo, quia ſupponit, ut iam diximus, intelligendi facultatem, cuius actus eſt; ſicuti facultas ipſa ſupponit eſſentiam. Secundo ab intellectione actuali non dimanant reliqua divina attributa. An enim Deus ſimplex, an aeternus, quia actu intelligit? Ergo neque in actuali intellectione eſt Dei Eſſentia ſtatuenda.*

neceſſaria, & eſſentialis exiſtentia convenit, ſoluſque Deus a nullo fieri, ſive pendere poteſt; nam ſi ab alio produci, ſeu pendere concipiatur, iam ille non amplius Deus eſſe poſſet, cum ab aeterno non eſſet; adeoque entis ab aeterno exiſtentis, ac neceſſarii idea omnino deſtrueretur. Ergo independentia erit in Deo admittenda tanquam ceterarum perfectionum fons, & principium illud, quod Deum a ceteris omnibus entibus diſtinguit, ipſique intrinſece, atque neceſſario coniungitur.

Idem confirmari etiam poteſt eiuſmodi inviotiſſimi momenti argumentatione. Illud metaphyſice rei eſſentiam conſtituit, quod primo in ea re percipitur, atque ex ea reliquae perfectiones & attributa dimanant: atqui *aſeitas*, ſive eſſe a ſe eſt huiuſmodi; nihil enim primo excogitari poteſt prius, quam ipſum eſſe: ſecundo *eſſe a ſe* ita convenit divinae Naturae, ut ulli unquam creaturae communicari minime poſſit; licet enim Deus omnipotens ſit, ut paullo inferius demonſtrabimus, ceteraſque ſuas perfectiones aliqua ratione creatis etiam quorumdam entium generibus concedere, & communicare poſſit; ens tamen aliquod independens producere nequit, quia in hac ipſa entis producti, ſimulque independentis idea contradictio manifeſtiſſima reperitur: tertio *aſeitas* eſt perfectionum omnium, quae in Deo reperiuntur, origo; qui enim a ſe ipſo habet eſſe, habet etiam omnia minora ipſo *eſſe*, vel quae conſequuntur ad *eſſe*, ſcilicet perfectiones, atque attribu-

buta [1]: quarto tandem per *eſſe* a ſe diſtinguitur Deus a creaturis, quae non a ſe, ſed ab alio ſunt; diſtinguitur etiam, *ratione* quidem, a perſonis, ac proprietatibus, quae ab *eſſe* manare concipiuntur. Concludamus igitur oportet, *aſeitatem* ſive independentiam divinam Eſſentiam conſtituere; eamque efficere, ut ſublimior de Divina Natura idea mentem noſtram ſubeat. Hanc quoque rationem D. Bernardus [2] egregie proſequutus eſt. Hinc in Sacris etiam Litteris [3] Deus ipſe, ut ſuam Eſſentiam exprimeret, inquit: EGO SUM, QUI SUM; ſive: ut illuſtrius in graeco textu habetur: *Ego ſum Ens*.

DE PRAECIPUIS DEI ATTRIBUTIS PHYSICIS.

CAP. III.

SUpremi Numinis exiſtentiam, atque eſſentiam eius attributa proxima conſequuntur, quae ratione noſtra ex ipſa Dei Natura concipiuntur quodammodo derivari. Evicto itaque Numen eſſe aliquod independens, ac neceſſarium, ipſius modo attributa atque perfectiones inquirere, & paucis explicare contendemus. Ut ve-

(1) *Hinc D. Bernardus* de Conſid. lib. 6. *ait:* Si bonum, ſi magnum, ſi ſapientem de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, Eſt, nempe hoc eſt ei eſſe, quod haec omnia eſſe. Si centum addas, non receſſiſti ab eſſe. Si ea dixeris, nihil addidiſti; ſi nihil dixeris, nihil minuiſti.

(2) *Lib. 5. de Conſider.* (3) *Exod. cap. 3. v. 14.*

ro id facilius adſequamur, ipſo veluti in limine Deum, ens perfectiſſimum demonſtrabimus. Omnem in Deo perfectionem reperiri exinde colligitur, quod quaecumque eſt in rebus perfectio, vel ipſa coeperit, vel non: quae non coepit, Dei eſt; quae coepit, neceſſe eſt habuerit, unde inciperet: cum autem perfectiones, quae in effectis obſervantur, prius in cauſſa fuerint oporteat, ut ſecundum eas cauſſa poſſit aliquid efficere; conſequens eſt, ut omnes in prima Cauſſa reperiantur, quae plane neque ab alia, neque a ſeipſa privari deinde potuit ulla perfectione: non ab alia cauſſa, quia cum prima ab aliis rebus non pendeat, nihil ab ipſarum actione pati profecto poteſt; non a ſe ipſa, quia natura quaelibet ſuam appetit perfectionem [1]. Nec ſo-

(1) *Ens, quod ex ſui natura nullum habet principium, nullamque cauſſam, nihil poteſt habere, a quo intra certos fines conſtringatur. Fines enim iſti neque a principio, neque a cauſſa, neque ab ente ipſo poſſunt praeſcribi: non quidem a principio, & cauſſa, quia non habet neque principium, neque cauſſam: non ab ipſo pariter ente, quia ſicuti nulla res dare ſibi poteſt, ut ſit; ita neque etiam ut in hoc, vel illo ſit ordine: ergo in ente, quod ex ſui natura nullum principium, nullamque habet cauſſam, perfectionum omnium plenitudo reperitur. De omnimoda inſuper perfectione entis neceſſarii magis magiſque conſtabit, ſi illud quoque advertatur, ens neceſſarium a ſe eſſe debere, quia ipſum in ſe exiſtendi neceſſitatem habeat, adeoque totam quoque entis plenitudinem in ſe contineat, opus eſt. Ergo Deus eſt ens omnium perfe-*

ſolum quodlibet perfectionis genus in Deo reperitur, ſed inſuper addendum, ipſum in quovis perfectionis genere eſſe infinite perfectum. Etenim ſi Deus aliquo perfectionis gradu carere poſſet, aut in quodam perfectionis genere eſſet finitus, ab alio perfici, ac compleri

M 2 poſ-

fectiſſimum ; quod quidem ex communi etiam tam doctorum, quam indoctorum hominum ſenſu manifeſtum eſt. Omnes certatim, *ait D. Auguſtinus lib.* 1. de Doctrin. Chriſt. *num.* 7. *alias cap.* 7., pro excellentia Dei dimicant, nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt. Itaque hoc omnes Deum conſentiunt eſſe, quod ceteris rebus omnibus anteponunt. *Quum inſuper Deus ſit omnino perfectus, illius perfectiones & quoad numerum, & quoad dignitatem oportet eſſe infinitas : quoad numerum quidem ; nam ſi qua perfectio Deo ſuperaddi poſſet, iam Deus non eſſet amplius omnino perfectus : quoad dignitatem vero, quia ſi perfectionum dignitas atque excellentia augeretur, perfectio quoque entis, in quo inſunt, augeretur ; quod plane in Ente perfectiſſimo fieri nequit. At vero ſi ideo divinae perfectiones infinitae eſſent, [uti Hobbeſius falſo, atque impie putavit* in lib. de Cive cap. 15. §. 14.] *quia intellectus noſter illarum numerum adſequi nequit, non autem quia in ſe infinitatem revera habent ; non eſſet Deus omnino perfectus. Etenim qui Deum ita eſſe infinite perfectum aſſeverat, ſtatuit quidem ſe ignorare limites, quibus Dei perfectiones circumſcribantur : ſed divinis ipſis perfectionibus nullam tribuit infinitatem, quae tamen ad ſummam perfectionem neceſſario requiritur. Deinde licet res aliqua finita ſit, noſtrae tamen mentis aciem facili negotio ſugere poteſt : at vero quod infinitum eſt, id non ſolum quoad noſtram cognitionem nullum habet limitem, verum etiam repugnat, ut in ſe ipſo habeat.*

poſſet ; quod ſane ab Entis neceſſarii, & independentis idea perſpicue abhorret.

His ita conſtitutis, clarius intelligi, & facilius poſſunt oſtendi praecipua Dei attributa, quae ſunt Unitas, Aeternitas, Omnipotentia, Omniſcientia, Immutabilitas, Spiritualitas, Simplicitas, Immenſitas ; quae quidem attributa *Phyſica* appellari etiam ſolent, quod ipſam Dei Naturam afficere, & ad intellectum referri videantur. Ut vero a primo ex huiuſmodi attributis exordiamur, nimirum ab *Unitate* (1), dicendum, quod cum Deus ſit ens ſumme perfectum, eſſe debet ens ſupre-

(1) *Quemadmodum athei nullum Deum admittunt, ita polythei ex adverſo plures extare Deos turpiter adſeverant. Unitatem Dei inficiati primo ſunt Ethnici. Tot ſiquidem Deos hi ſunt venerati, ut Heſiodus, teſte Euſebio* lib. 5. Praep. Evangel. cap. 15., *eſſe cenſuerit in terra* triginta Deorum millia. *Certe liberum adeo cuique erat ſibi Deum fingere, ut, quemadmodum Coelius Rhodiginus* lib. 21. Lect. antiq. cap. 3. *refert*, non provinciis modo, ſed & ſuus eſſet cuique Civitati Deus. *At non ſolum Ethnici, ſed quod horribilius eſt, nonnulli etiam inter Chriſtianos plures Deos admiſere ; nam Valentinus ſub initium ſecundi Eccleſiae ſaeculi triginta* Eonas, *quaſi totidem Deos confinxit, uti videre eſt apud Tertullianum* in lib. contr. Valentinianos de Praeſcription. Haereticorum cap. 20., & adverſus Praxeam cap. 3.; *ſicuti quoque apud S. Auguſtinum* de Haereſibus cap. 11. *Prodigus etiam ſectae Adamitarum turpiſſimae auctor plures Deos poſuit, Tertulliano ipſo teſte* in lib. contr. Praxeam cap. 3., *quos tamen omnes in manifeſto errore fuiſſe, apertiſſima ratione conſtare oſtendemus.*

premum, ideſt ceteris omnino entibus antecellere; nam ceteris praeſtare, & imperare perfectio eſt; ergo nullum ens ſibi aequale poteſt habere, adeoque Unus eſt tantum Deus. Quod ſi duo, pluresque Dii admitterentur libere agentes, & volentes, poſſent contraria velle; proindeque ſi Deus unus motum ex. cauſſ., quietem alter, unus calorem, alter frigus producere vellet, unius potentia ab aequali alterius potentia veluti extingueretur: quapropter alter ab altero impediretur, quominus quod vellet, ageret; aut effectum produceret: poſſe autem impediri, Deo indignum eſt. Accedit etiam, quod etiamſi ipſorum voluntas in aliquo effectu producendo diſpar non ſit, nunquam tamen effectus ille produceretur: nam ſi Deus unus certo cuidam corpori certum quemdam motum, ſeu celeritatem imprimere vellet ex. cauſſ. graduum octo, & par in altero quoque Deo voluntas haberetur, ac proinde ab utroque octo illi celeritatis gradus imprimerentur, corpus illud non octo, ſed ſexdecim celeritatis gradibus moveretur: hinc illa celeritas derivaret, quae a nullo prorſus Deo imperata, & impreſſa foret.

Praeterea Deorum plurium ſigna nuſquam deprehenduntur. Tota enim haec univerſitas unum facit, ſcilicet mundum; in hoc unum pulcherrimum, nempe ſol; in homine etiam unoquoque unum imperat, nimirum mens. Inferri igitur debet, nullo pacto admitti poſſe plures Deos; quemadmodum admiſere polytheitae, qui quam graviter, impudenterque aberraverint, Lucianus,

nus, Cicero, Plato, aliique complures inter Gentiles [1] oſtendunt, ut Juſtinum [2], Clementem [3], Athenagoram [4], alioſque Patres praeteream, qui contra veterem Ethnicorum opinionem huic veritati adverſantem ſubtiliter, & acute diſputarunt. Accedit etiam, quod Deus eſt id, quo nihil melius eſſe, vel excogitari poteſt; ergo nulla perfectio ipſi deeſt: atqui aliqua deeſſet perfectio, ſi duo forent; ergo duo eſſe nequeunt. Et quidem ſi duo forent, aliqua re inter ſe differre deberent, alioquin duo non eſſent: id vero, propter quod differrent, perfectio eſſet, quia in Deo nihil eſt, niſi perfectio; ergo aliqua perfectione uterque careret. Quinimmo tota ſubſtantia unius alteri deeſſet; ergo nemo ex iis aliquid perfectiſſimum foret, quia plurimum perfectiſſimae ſubſtantiae unicuique deeſſet. Item duo infinita dari non poſſunt; ibi enim unum finiri neceſſe eſt, ubi alterum incipit. Poſtremo quum Deus quid ſummum, atque optimum ſit, eſt etiam, ut ita loquar, ipſum totum: totum autem eſſe non poteſt, niſi unum; quod enim totum eſt, omnia in ſe continet, ac nihil prorſus excludit [5].

Quo-

(1) *Vid. Cudworth. cap.* 4. §. 20.

(2) *In Cohortat. ad Graecos a num.* 15. *ad* 20. *uſque.*

(3) *In Protreptico.*

(4) *In Legatione pro Chriſtianis.*

(5) *Tantum efficaciae ad perſuadendum, immo etiam evidentiae in hoc argumento ineſſe putavit D. Thomas* 1. par. quaeſt. 11. art. 3., *ut inde recte deduxerit, quod* & antiqui

Quoniam vero apertiſſimum cuique eſt, 1. entia illa, quae vitam habent, perfectiora dici illis, quae vita carent: 2. quae agendi habent poteſtatem, iis perfectiora eſſe, quae nullam habent: 3. quae intelligunt, iis, quae intellectu ſunt deſtituta; conſequens ergo eſt ex iis, quae ſuperius demonſtravimus, haec omnia attributa Deo convenire, & quidem infinite, cum Deus in quolibet perfectionis genere infinite perfectus eſſe debeat. Itaque manifeſtiſſime apparet 1. Deum eſſe vitae infinitae, ideſt aeternum [1]: 2. immenſae agendi vir-

---

tiqui Philoſophi quaſi ab ipſa coacti veritate ponentes principium infinitum, poſuerunt unum tantum principium.

(1) *Atque ut id clarius quoque eluceſcat; dicitur aeternum, proprie loquendo, quod ita exiſtit, ut non ſolum initio exiſtendi careat, atque fine, verum etiam ut ſit ab omni ſucceſſione, ſeu mutabilitate prorſus immune. Ut enim praeclare obſervat Richardus Victorinus*, aliud videtur ſonare aeternum, aliud ſempiternum. Sempiternum namque eſſe videtur, quod caret initio, & fine; aeternum, quod caret utroque, & omni mutabilitate: & quamvis forſitan neutrum ſine altero invenitur, recte tamen inter nominum ſignificationem diſtinguitur. Quid itaque aliud eſt aeternitas, quam diuturnitas ſine initio, & fine, & carens omni mutabilitate? *Hinc recte Boethius* lib. 5. de Conſol. Philoſ. proſ. 6, *quem omnes Theologi hac in parte ſequuntur, aeternitatem definit:* Interminabilis vitae tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. *Quibus omnibus praehabitis, Deus ita eſt primum ens, ut nullum ſit, nec eſſe poſſit, a quo pendeat,*

virtutis, & poteſtatis, nimirum omnipotentem (1); 3. infinitae cognitionis, ac ſcientiae, adeoque omniſcientem. Haec Dei cognitio ita ſolet diſtingui, ut ea, qua

deat, utpote in omni perfectionum genere infinite perfectus. Ergo ita exiſtit, ut neque habuerit exiſtendi initium, neque finem ſit habiturus. Repugnat quippe, ut coeperit eſſe, quod non habet, a quo illud accipiat; ut penitus extinguatur ac pereat, quod nulli ſubiicitur. Initio itaque caret Deus, atque fine. Eſt autem ab omni etiam mutabilitate immunis, ut inferius demonſtrabimus; ergo eſt aeternus.

(1) *De divina omnipotentia perperam ſenſere primo Manichaei; quippe qui arbitrabantur, materiam ex nihilo haud fuiſſe productam, ſed Deo eſſe coaeternam; atque ut ex Theophilo Alexandrino dicebat Origenes, tantum poſſe Deum*, quantum ei ad operandum materia miniſtrarit: *ita in* Epiſt. Paſchal. 1. apud Cl. Petavium tom. 1. Theol. Dogm. lib. 5. cap. 5. *Secundo Ariani, contendentes, Deum Patrem ita ad operandum Filio indigere, ut eo tanquam inſtrumento ad res creandas uſus fuerit. Tertio Petrus Abaelardus*, in lib. 3. Introduct. cap. 5. *docens*, id ſolum poſſe facere Deum, quod quandoque facit. *Wiclefus tandem, Calvinus, iique omnes, quorum fuit opinio, nihil amplius fieri poſſe a Deo, quam quod factum eſt, futurumque eſſe iam dixit. Ceterum quemadmodum ipſa veluti compellente natura fateri cogimur, Deum eſſe aeternum, ita ſi ad eiuſdem naturae impulſum velimus attendere, dare vel inviti debemus, Deum omnia poſſe. Ut enim D. Auguſtinus* Serm. 139. de tempore cap. 2. *habet:* Non dico, da mihi Chriſtianum; da mihi Iudaeum; ſed da mihi Paganum, idolorum cultorem, daemonum ſervum, qui non dicat, Deum eſſe omnipotentem. Negare Chriſtum poteſt; negare omnipotentem Deum non poteſt.

qua Deus novit entia mere poſſibilia, *ſcientia ſimplicis intelligentiae* appelletur; illa vero, qua res cognoſcit iam ab ipſo productas vel exiſtentes, aeque ac illas, quas ipſe producere decrevit [reſpectu noſtri futuras] *ſcientia viſionis* dicenda ſit; hinc ſcientia, qua Deus novit mundi huius adſpectabilis compagem, antequam ipſa fieret; vel qua res ipſas, aut rei modos iam exiſtentes intuetur, *ſcientia viſionis* nuncupatur. Entia itaque poſſibilia Deus *in* omnipotentia ſua contemplatur, utpote quae *in* omnipotentia veluti cauſſa continentur. Exiſtentia autem, & futura in libero ſuae voluntatis Decreto cognoſcit, quippe quae aliquando futura eſſe decrevit [1]. Inde autem inferri non poteſt, quod Dei prae-

(1) Epiſtolarum Perſicarum *Auctor* epiſt. 60. *eiuſmodi argumentatione praeſcientiam a Deo tollere nititur:* quod non exiſtit, *inquit ipſe*, nihil eſt; quod nihil eſt, videri non poteſt; ergo cum futura non exiſtant, Deus ea praeſcire non poteſt. *At quiſnam huiuſce argumentationis futilitatem cum ſumma impietate coniunctam non videat? Quandoquidem licet quae futura ſunt, nihil ſint, ſi in ſeipſis ſpectentur; illa tamen Deus in ſua Eſſentia, a qua habent, ut eſſe poſſint, ſtatutoque ſint tempore, certiſſime videt. Et re quidem vera ſi etiam artifex quaecumque ad opus aliquod a ſe conſtituendum pertinere poſſunt, certiſſime videt; quo potiori iure dicendum eſt, Deum ea omnia videre, quae futura ſunt, quum ab ipſo habeant, ut futura ſint, eiuſque Eſſentia ſit perfectiſſimum rerum omnium exemplar? Conſulatur hac ſuper re doctiſſimi P. Cerboni opus plane praecellens inſcriptum* Theologia naturalis Tom. 1., lib. 2. artic. 5. coroll. 1.

praeſcientia, [quae nihil aliud eſt, quam cognitio futurorum] ſeu ſcientia viſionis, qua Deus ab aeterno novit, quae futura ſunt, liberum voluntatis noſtrae arbitrium laedat [1]; proindeque ſi Deus futura omnia noverit, nulla remaneat in nobis agendi, vel non agendi poteſtas.

1. Nam vel agitur de actibus bonis, & ſupernaturalibus creatae voluntatis, ad quos Deus praemotione,

---

(1) *Praeſcientia Dei ſi ſeiunctа ab eius voluntate ſumatur, ſeu prout dumtaxat praevia rerum futurarum cognitio eſt, nullam poteſt humanae voluntati neceſſitatem imponere: ſiquidem hoc modo accepta; eſt ei extrinſeca, nec quidquam in ea efficit; adeoque in ſua libertate, ſeu libera activitate ipſam relinquit: non ſecus ac ille, qui alium tantummodo conſpicit quidpiam molientem, nihil ad eius operationem ullatenus confert; ac qui praeteritorum reminiſcitur,* non cogit eſſe facta, quae praeterierunt; *qua paritate utitur Auguſtinus. Si autem Divina Praevidentia una ſimul cum voluntate Divina ſumatur, nulla hac in re oritur difficultas ab ea diſtincta, quam ingerit eius Providentiae modus, quo certum ille, conſtantemque rerum omnium, effectuumque in hoc Univerſo ordinem, ſerіemque conſtituit, atque cuſtodit: quod poſſe ab ipſo praeſtari tam diximus influxu ſuo rerum naturis conſentaneo, accommodatoque; & idcirco omnia contingunt ea ratione, qua a Deo ordinata ſunt, nempe neceſſaria neceſſario, & libera libere, & cum potentia ad oppoſitum, licet certo omnia, ac infallibiliter. Qui probe intelligit; certum hunc, praefinitumque ordinem, illumque ſimul a liberis liberum, effici a Deo poſſe; atque reipſa effectum eſſe; is facili quoque negotio intelligit, poſſe Deum futura omnia certo praeſcire, quin ullam vim inferat hominum voluntati, aut ullam ei neceſſitatem imponat.*

ne, ſeu gratia ſpeciali illam determinat : 2. vel de iis agitur, qui naturae vires non excedunt : 3. vel de iis, qui mali ſunt. Verum neque his, neque illis actibus ullam neceſſitatem importat divina praeſcientia; etenim non ſolum ſcit Deus illos eſſe futuros, ſed novit etiam modum, quo futuri ſunt, nempe libere; quia in eiuſmodi actibus relinquit ſemper voluntati creatae *potentiam*, ut aiunt, *ad oppoſitum*, ita ut dum voluntas quidpiam agit, poſſit etiam ab eo agendo abſtinere.

Praeter illa duo ſcientiae genera admittunt etiam nonnulli ſcientiam, quam vocant *mediam*, qua nempe Deus novit futura conditionata, quorum ſcilicet conditio pendet a libera voluntatis creatae determinatione. Verum cum ſcientia haec facile poſſit revocari aut ad ſcientiam *ſimplicis intelligentiae*, ſi conditiones illae futuris eventibus adiunctae nunquam ſint ponendae, adeoque ſint mere poſſibiles; vel ad ſcientiam *viſionis*, ſi conditiones ipſae exiſtentiam aliquando ſint habiturae; hinc ſuperfluam putarunt plerique Theologi alteram hanc ſcientiae diſtinctionem, proindeque eliminandam eſſe ſcripſerunt; quod D. Auguſtini doctrinae adverſetur, qui talem ſcientiam expreſſe reiicit *lib. de praedeſtin. Sanctor. cap.* 14.; ubi exponens contra Semipelagianorum errores illud Sapientiae *c.* 4., *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*, ita differit : *Id dictum eſt ſecundum periculum vitae huius, non ſecundum praeſcientiam Dei, qui hoc praeſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.*

Ce-

Ceteris Dei attributis phyſicis illud modo accedit ; quod immutabilitas nuncupatur. Deus eſt immutabilis ; quoniam nec a ſe ipſo, nec aliunde mutari poteſt. Non a ſe ipſo, quia 1. nec ſibi poteſt tribuere aliquam perfectionem, quá prius careret; alioquin ſi ipſa caruiſſet, ſumme perfectus non eſſet : 2. nec ſibi eripere poteſt ullam perfectionem, eiuſve gradum ; nam ſi illam, aut hunc amitteret, neque infinite perfectus, neque in quolibet perfectionis genere eſſet infinitus. Non aliunde, cum nec ab alio pendere, nec proinde quidquam recipere, aut pati poſſit (1).

Eſſe

(1) *Ad rem hanc audiatur S. Proſper in Epigrammate tertio :*

Non coeptum, aut auctum, non huic mutabile quidquam eſt,
Quod ſubeat leges temporis, aut numeri.
Virtus praeteritis prior, ulteriorque futuris :
Nil recipit varium, nil habet occiduum.

Itidem Proclus in Commentariis ad Platonis Rempublicam eodem utitur argumento, ac neque ab alio, neque a ſeipſo pati quidquam Deum poſſe, ſic probat : Omne, *inquit*, quod mutatur eo, quod mutat, imbecillius eſt ; quoniam hoc agit, illud patitur. Atqui divinum omne potentiſſimum eſt. Imbecillitas vero cum ſit affectio propria materiae, procul eſt a Diis. *Iamvero nec a ſeipſo mutari poſſe, inde confirmat :* Quidquid enim a ſeipſo mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur. Porro in deterius nihil ſe unquam ſponte ſua mutaverit. Nam omne quod tale aliquid patitur, ex boni inſcitia illud pati videtur. At in melius ſi quid mutatur, id ante mutationem proprii boni indi-

Eſſe quoque Deum ſpiritalem, ex eo vel maxime elucet, quod ipſe nonnulla entium genera creaverit, quae ſunt ſpiritalia, ut humanae mentes, & Angeli; unde cum Deus quoſdam produxerit effectus ſpiritales, aliosque poſſit producere infinitos, ipſe etiam ſpiritalis eſſe debet; alioquin effectus aliquis cauſſa ſua nobilior, atque perfectior effingeretur; adeoque Deus perfectionem aliquam alteri conceſſiſſet, quam in ſe non haberet. Id etiam conſtat ex Philoſophorum conſenſu. Pythagoras (1) enim, Xenophanes (2), Plato (3), nec non Ariſtoteles, Simplicius, & Epicurus ipſe Deum quovis corpore expertem dixere. Mitto Alcinoum, Apuleium, aliosque. Ergo Deus eſt ſubſtantia omnino ſpiritalis.

Debet inſuper admitti infinita in Deo ſimplicitas (4). Nam Deus eſt immutabilis, & incorporeus: atqui

digens, eiuſmodi mutationem eligit. Quare ex ambobus illis aut minime voluntariam actionem in Deum conferemus, aut bonorum indigentiam. Verum & cognitio penes Deos eſt praeſtantiſſima, & vita ſufficiens. Igitur neque bono egent ullo, neque praeter voluntatem aliquid patiuntur. *Similis eſt argumentatio apud Alcinoum in libro* de Doctrina Platonis *cap.* 10.

(1) *Ap. Lactant. de ira Dei.*

(2) *Ap. Clem. Alexandr. Strom.* 5.

(3) *Ap. Aug. lib.* 8. *de Civit. Dei c.* 9.

(4) *Simplicitas eſt perfectio, vi cuius Deus eſt Spiritus omnium nobiliſſimus, qui caret omnino partibus, & eſt unus, ſive, ut ſcribit D. Bernardus,* uniſſimus. *Divinum hoc attributum negarunt prae ceteris Antropomorphitae,*

atqui non eſſet immutabilis, & incorporeus, ſi partibus conſtaret; ergo infinita ſimplicitas eſt in Deo ipſo admittenda.

Immenſitas tandem, qua Deus enti omni creato, vel loco intime praeſens eſt, ita demonſtratur. Et primo: quia Deus eſt infinitus, nequit ulla perfectione limitari; ergo nec loco circumſcribi. Secundo ubi poteſtas Dei eſt, ibi eſt ſubſtantia: at illa eſt ubique; ergo & iſta [1]. Primum argumentum eſt S. Baſilii [2]; ſecundum S. Anſelmi [3]; utrumque S. Auguſtini [4]. Deus eſt ubique totus, neque ullis locorum finibus coarctatur, quia ubique cogitat, nempe ubique intelligit infinito ſuo intellectu, & ubique vult omnipotentiſſima ſua voluntate; non autem eſt maior in maiore loco, nec minor in minore, quia loco non continetur, ut

tae, Deo corpus tribuentes, quorum ſectam in Eccleſia aut natam eſſe, aut certe a tenebris, quibus antea iacuerat, caput extuliſſe quarto ſaeculo, duce Audio vel Audaeo homine Syro e Meſopotamia Ario aequali, communis, ac maxime vulgata opinio eſt.

(1) *Ethnici quoque Zeno* ap. Laertium, *Proclus* in Tim., *Empedocles* ap. Huet. lib. 2. q. Aln. 7., *Seneca* ep. 41., *Dio Chr.* ap. Grotium in 17. Act., *&* *celeberrimum Oraculum apud Porphyrium*: πάντα θεοῦ πλήρη *&c.* Omnia plena Deo, Deus extat ubique, *propoſitionem iſtam confirmant.*

(2) *Contra Eunom.* 5.

(3) *De Incarn. cap.* 4.

(4) *Ep.* 70. *ad Dardan.*

ut corpus, ſed potius loca omnia continet [1], & in ipſo creaturae omnes ſubſiſtunt, iiſque exiſtentiam, motum, vitam, ac ſenſum omnipotentiſſima, ſemperque praeſenti ſua voluntate impertitur: *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus* [2].

DE MORALIBUS DEI ATTRIBUTIS.

CAP. IV.

PRoponenda, ac demonſtranda nobis occurrunt attributa illa, quae ad Dei voluntatem referri, ipſamque perficere concipiuntur, adeoque *moralia* ſolent appellari, quorum praecipua ſunt ſex, *Libertas*, *Bonitas*, *Iu-*

(1) *Rectius profecto dicitur Univerſum eſſe in Deo ratione immenſitatis, quam ipſum eſſe in Univerſo, cum in eo non includatur, non circumſcribatur, non definiatur: quod fortaſſe indicare voluit Tertullianus, cum ſcripſit, eum eſſe* extremam mundi lineam; *& ante Tertullianum Apoſtolus ad Hebr. 1., cum dixit, ipſum* Portare omnia verbo virtutis ſuae.

(2) *Act. Apoſt. 17. Quibus Apoſtoli verbis innuitur, Deum non eſſe ita diſſitum, quin poſſit a nobis intelligi; adeoque perperam Athenienſes aram* Ignoto Deo *excitaſſe. Hanc plurali numero inſcriptam, nempe* ΑΓΝΩΣΤΟΙΣ ΘΕΩΙΣ, Ignotis Diis, *cenſet Eraſmus, Meurſius, Sponius &c. Verum praeter aras a laudatis Scriptoribus recenſitas conſtat ex Laertio, plures extitiſſe aras ſingulari numero inſcriptas. Hinc Philopater iurat per* Deum Ignotum, *quem Athenis ſe adoraſſe teſtatur.*

Iuſtitia, *Sanctitas*, *Veracitas*, ac *Providentia*, de quorum ſingulis ſermonem inſtituere modo aggredimur. Inter proprietates, quae divinae adſcribuntur voluntati, prima ſolet ſtabiliri Libertas [1]. Qui ab omni prorſus neceſſitate, ſive *intrinſeca*, ſive *extrinſeca* eſt immunis, hunc liberum vocamus. Utraque libertatis ſpecies eſt in Deo conſpicua. Liber eſt ab extrinſeca neceſſitate, cum nihil certius ſit, quam Deum omnipotentem, atque omnium Dominum ab alio cogi non poſſe. Eſt etiam liber ab intrinſeca in iis ſaltem actibus, qui extra Deum terminantur, cuiuſmodi eſt creatio Univerſi &c. Siquidem Deus non neceſſario mundum creavit, ſed potuit eum non creare, cum mundus non ſit obiectum ſufficiens ad neceſſario rapiendam Dei voluntatem, quae a ſummo tantum bono neceſſario abripi poteſt [2]. Leibnitius, Wol-

(1) *Non poſſe Deum abſtinere ab iis, quae facit, & plura, iiſque meliora, quae facit, efficere minime poſſe docuit ſaeculo duodecimo Abaelardus, ut teſtantur eruditiſſimi PP. Martene, atque Durandus* Anecdot. Tom. 1. col. 1353. edit. Pariſienſ. an. 1717. *Abaelardi errorem ſaeculo decimoquarto Wiclefus ſectatus eſt, Deumque & omnipotentem, & liberum eſſe negavit, uti ex* Doctrinali Antiquitatum Fidei Eccleſiae Catholicae *Thomae Waldenſis compertum habemus. Divinam tandem perfectiſſimam libertatem impugnavit Spinoſa* Ethices Part. 1. Prop. 16., Prop. 19., & coroll. Prop. 32.

(2) *Quae Spinoſa adverſus Dei libertatem* Ethices Par. 1. Prop. 17. *obiicit, eiuſmodi haud ſunt, ut in iis ſolvendis immorari debeamus; nam homo nequam nunc pro certo*

Wolfius, aliique non pauci in ea ſuerunt ſententia, ut Deus in operando *ratione ſufficienti* dirigeretur; proindeque ea ſolum produxerit, aut producere poſſit, quae huic *rationi ſufficienti* magis ſunt conſona, ideſt ceteris omnibus rite ſpectatis perfectiora, ideoque mundus hic, ut ipſi aiunt, mundorum omnium poſſibilium optimus eſſe debeat. Leibnitius *rationem* illam ideo *ſufficientem* vocavit, quod ſufficiat ad cauſſam determinandam; & liberius, impudenterque concludit, cauſſam omnem, humanos nempe animos, & Deum ipſum operari non poſſe, niſi praeter agendi vim, habeat etiam ſufficientem quamdam rationem, qua determinetur ad operandum, & qua ſublata, efficiens cauſſa indifferens omnino eſſet [1]. Ceterum ut error, & ambiguitas omnis aufera-

to ſibi ſumit, quod in quaeſtione poſitum eſt; nunc autem quae ſunt manifeſte falſa, evidenter vera eſſe ſupponit. Conſulatur Clarkius de Exiſtentia Dei *cap.* 10. *Certum, exploratumque eſt, Deum ipſum, quatenus agit intra ſe, ſeu, ut Scholae loquuntur, in operationibus* ad intra, *liberum non eſſe, cognoſcendo videlicet, & amando ſeipſum, gignendo Filium ſuum, & Spiritum Sanctum producendo; iſta enim omnia ſunt neceſſaria. At haec innuiſſe ſatis: fuſius, atque opportunius apud Theologos.*

(1) *Hoc* rationis ſufficientis *principium, quod a Leibnitio omnium primo ſubtiliter excogitatum, feliciterque uſurpatum eſſe putavit Wolfius, tanquam uberrimum cognitionum noſtrarum fontem ipſe quoque arripuit, eiuſque principii leges, atque uſum in univerſa fere Metaphyſica prolixius, liberiuſque exponere ſtuduit. Verum quod Wolfius, aliique complures* ſufficientis rationis *ideam, cognitionem, atque*

feratur, rationis ſufficientis principium admitti tantum poteſt in cauſſis illis neceſſariis arbitrio deſtitutis, quae non libere, ſed neceſſario effectum producunt, ut ignis neceſſario calorem producit; quae quidem cauſſa ita eſt natura ſua indifferens, ut ſuum non producat effectum, niſi *ſufficiens ratio* concipiatur, cuius ope ef-
fectus

---

atque uſum Leibnitio omnium primo affulſiſſe ſentiunt, id facile poteſt plurimis Veterum teſtimoniis, & exemplis refelli, qui ſaepe ſaepius principium illud accurate, feliciterque uſurparunt. Atque ut unum hic proferam exemplum; Archimedes, aliique tanquam certum, compertumque ſupponunt, quod aequalia pondera in bilance poſita, atque ex aequalibus diſtantiis ſuſpenſa omnino quieſcere, vel in aequilibrio eſſe debeant, quia nulla ſufficiens ratio concipi, aut eſſe poteſt, cur pondus unum alteri praevaleat, proindeque unum potius, quam alterum moveri, deprimique debeat. Sic Parmenides, ac Democritus ut oſtenderent, tellurem in Univerſi centro immotam quieſcere, hoc ipſum rationis ſufficientis *principium adhibuerunt, quod nempe nulla penitus ratio effingi poſſit, cur tellus ipſa in unam potius, quam in aliam partem vergere, aut inclinare debeat:* Cum aequaliter, *inquit Plutarchus de Plac. Philoſoph. lib.* 3. *c.* 1., undequaque a caelo diſtet, adeoque cum non habeat cauſſam, propter quam huc potius, quam illuc vergat, tellus in aequilibrio permanet. *Quin etiam complures eiuſmodi* rationis ſufficientis *principio abuſos eſſe novimus, ut quingentis annis ante Leibnitium ipſum dixerint, quidquid a Deo fuerit productum, optimum, ac perfectiſſimum eſſe oportere; proindeque demonſtrare contenderint, Deum aliter operari non valuiſſe, quam fuerit operatus; nihilque a Deo fieri poſſe, niſi quae facit. Conſulatur hac de re doctiſſimus P. Moniglia* adverſus Materialiſtas Tom. 2. pag. 152.

fectus ipſe potius productus, quam non productus demonſtretur; ideſt niſi prius indifferens illa agendi vis ab extrinſeco quodam principio determinata fuerit ad operandum. Sed in cauſſis creatis ſimul, ac liberis, quae natura ſua ad oppoſitos actus ſunt indifferentes, nulla ſufficiens ratio admitti debet. Quamlibet enim rationem, amabilitatem quamlibet cauſſae iſtae obſervent in obiecto a ſe cognito, ſemper tamen ad illud amandum, vel non amandum ſunt liberae; unde ſufficiens illa ratio ipſarum indifferentiam determinans non alia prorſus erit, quam ipſa eiuſmodi cauſſarum libertas. Quod ſi in cauſſis iſtis creatis, ac liberis ſola ratio ſufficiens eſt libertas illa eligendi, qua praeditae ſunt; quis aperte non videat, quod in Cauſſa increata, nempe Deo ratio nulla ſufficiens effingi poteſt, quae ipſum impulerit ad operandum, niſi infinita illa libertas ſapientiae, bonitati, ac potentiae infinitae coniuncta, qua quidem ex infinitis entibus aeque poſſibilibus unum prae alio elegit; ex variis entium ordinibus, qui perfecti, perfectiores, vel perfectiſſimi eſſe poterant, perfectum ſelegit, ſed ita tamen, ut perfectiorem alium ſeligere potuerit. Ergo Leibnitii, & Wolfii ſententia, qua non poſſe a Deo creari mundum alium hoc perfectiorem, proindeque hunc eſſe optimum ipſi contenderunt, reiicienda prorſus eſt. Quidquid enim exiſtit, ſi perfectiſſimus rerum omnium Conditor excipiatur, finitum eſt. Rerum finitarum natura ea eſt, ut earum proprietates & numero, & intenſitate ſemper

augeri, ac perfectiores proinde fieri poſſint. Hoc igitur mundo, qui finitus eſt, perfectior alter a Deo condi poteſt, adeoque hic optimus a nobis haberi non debet cum Leibnitianis, quorum plane opinio Libertati, Omnipotentiae, ac Sapientiae divinae adverſatur. Optimus tantum cenſeri debet mundus habita ratione optimi agentis, ſcilicet Dei, cuius eſt optimos producere effectus: optimus quidem propter convenientiſſimum ordinem a Deo rebus attributum, in quo bonum Univerſi conſiſtit: *Optimus* ſane, ut docet Divus Thomas, *eſt mundus bic ſecundum modum creaturae, non habita ratione divinae Potentiae, qua creari poſſunt res aliae, & Univerſum melius, atque perfectius.*

Quoniam vero tum Leibnitius, tum Wolfius, ea iudicii ratione, qua valde pollebant, quantum D. Thomae in rebus metaphyſicis explicandis fuiſſet ingenii acumen, quantaque profunditas, & perſpexerunt, & aperte confeſſi ſunt [1]; ideo alia nonnulla ex ipſo Sancto

(1) *S. Thomae iudicium grave eſſe ſolere, Scotum vero, quando ei ſeſe opponit, res ipſas reddere obſcuriores, aſfirmat Leibnitius in ſua* Theodicaea *par.* 3. §. 330. *Wolfius autem* Theologiae Naturalis *par.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. 497. *S. Thomam inde valde commendat, quod* pro eo, quo pollebat in Theologia Naturali acumine, *Dei cauſſam adverſus atheos egregie defenderit. Idem part.* 1. *cap.* 4. §. 683. *D. Thomae explicantis, qua ratione mala moralia faciant*, ut maior ſit in hoc Univerſo perfectio, *mentionem cum laude babet, quatenus ſcilicet* directio eorum ad bonos fines, & mediantibus hiſce ad finem ultimum,

ćto Doćtore hic referenda eſſe putamus, quibus opinio de mundo perfećtiſſimo aperte confutatur. *Super omnia, quae Deus fecit*, inquit (1), *adhuc poteſt alia diſſimilia facere, & nova genera, & alios mundos; nec unquam id, quod factum eſt, facientis virtutem adaequare poteſt*. Anne paucioribus, & maiori cum efficacia adverſus Leibnitianos concludere poterat (2)? Alibi autem quaerit, num Deus poſſit facere, quae non facit: ita vero difficultatem reſolvit: *Dicendum, quod hic error, ſcilicet Deum non poſſe facere, niſi quae facit, duorum fuit. Primo fuit quorumdam Philoſophorum dicentium, Deum agere ex neceſſitate naturae; ſecundo fuit quorumdam Theologorum conſiderantium ordinem divinae Iuſtitiae, & Sapientiae, ſecundum quem res fiunt a Deo, quem Deum, praeterire non poſſe, dicebant. Et incidebant in hoc, ut dicerent, quod Deus non poteſt facere, niſi quae facit*. Erroneam igitur aeque habet hanc Philoſophorum, ac illam Theologorum opinionem. Hanc autem numero 8. ſibi difficultatem proponit, quam ab ipſo Leibnitiani videntur eſſe mutuati: *Bonitatis divinae eſt, ut non ſolum ſe communicet, ſed ordinatiſſi-*

mum, perfećtiorem [*mundum*] reddit, quam abſque hac direćtione foret; & ſic demum efficiunt, ut maior ſit in hoc Univerſo perfećtio. *Eiuſdem partis cap.* 4. §. 683; *laudat S. Thomam demonſtrantem exiſtentiam Dei a contingentia rerum*; *proque* ſui ingenii acumine *hoc potiſſimum argumenti genus contra atheos urgendum exiſtimaſſe commemorat*.

(1) *Quaeſt.* 20. *de Veritate art.* 4.

(2) *Quaeſt.* 1. *de Potentia art.* 5.

Digitized by Google

tiſſime ſe communicet : ſic ergo ea, quae fiunt a Deo, ordinate fiunt ; ſed praeter ordinem Deus facere non poteſt : ergo non poteſt facere alia, quam quae fecit. Huic autem difficultati paucis ita reſpondet : *Ad octavum dicendum, quod Divina bonitas poteſt ſe communicare ordinate, non ſolum iſto modo, quo res operetur, ſed multis aliis*. Et ſane quis hoc unquam negaverit ? Item num. 14., & 15. duas iſtas difficultates ſibi proponit, quas etiam Leibnitiani opponunt. *Praeterea quidquid Deus facit, aut dimittit, facit, aut dimittit optima ratione : ſed Deus non poteſt facere aliquid, aut dimittere, niſi optima ratione : ergo non poteſt facere, nec dimittere, niſi quod facit, & dimittit. Praeterea optimi eſt optima adducere ſecundum Platonem, & ſic Deus quum optimus ſit, optimum facit : ſed optimum quum ſit ſuperlativum, uno modo eſt ; ergo Deus non poteſt facere alio modo, vel alia, quam quae fecit*. Utrique difficultati cum ſumma perſpicuitate paucis ita reſpondet : *Ad* 14. *dicendum, quod optima ratio, qua Deus omnia facit, eſt ſua bonitas, & ſua ſapientia, quae manerent, etiamſi alia, & alio modo faceret. Ad* 15. *dicendum, quod illud, quod facit, eſt optimum per ordinem ad Dei bonitatem. Et ideo quidquid illud aliud eſt ordinabile ad eius bonitatem, ſecundum ordinem ſuae ſapientiae eſt optimum*. Paucis ergo concluſit Sanctus Doctor, quae Leibnitiani opponunt, paucioribuſque nullius ea momenti eſſe, manifeſtum fecit.

Eſt inſuper Deus infinite bonus ; nam ipſe ſolus cuncta perfectionum genera complectitur, & in quovis

eſt

eſt infinite perfectus [1] : ergo infinite bonus, & amabilis erit, & omne humani cordis deſiderium, affe-

ctus

(1) *Unumquodque bonum dicitur propter propriam virtutem, quam in ſe continet ; nam virtus & ſubiectum, in quo reperitur, & operationem illius perficit : ſed virtus eſt quaedam perfectio ; ergo ita quodlibet bonum eſt, ſicuti perfectum eſt : at Deus eſt infinite perfectus ; ergo & infinite bonus ; ergo ſummam infinitamque in ſe continet bonitatem, quae quidem ipſi per eſſentiam convenit. Nam quum aliquid bonum eſſe poſſit vel per eſſentiam, vel per participationem, quod non eſt bonum per eſſentiam, eſt per participationem : at quod eſt bonum per participationem, ſummum bonum eſſe nequit ; ergo cum Deus ſummum ſit bonum, ut modo oſtendimus, non poteſt eſſe bonus per participationem. Deinde quod eſt per participationem bonum, aliquid praeſupponit, a quo bonitatem participet : atqui Deus eſt primum ens, infiniteque perfectum, ut patet ex demonſtratis ; ergo fieri nequit, ut bonum ſit per participationem. Item bonum per participationem aliquid praeſupponit, a quo bonitatem participet : & licet hanc participare poſſit ab alio ente, quod ſit bonum per participationem ; hoc tamen ens praeſupponit ſemper principium, a quo bonitatem participet : & niſi aliquod primum ponatur, quod bonum ſit per eſſentiam, dari certe non poterit aliquid bonum per participationem, quia effectus ſine cauſſa dari nequit, quaevis tandem praeſupponatur effectuum ſucceſſio ; ergo admittatur oportet bonum per eſſentiam, à quo omnes derivare poſſint bonitatis gradus : at bonum iſtiuſmodi ſolus Deus eſſe poteſt, quia eſt primum ens, & ceterorum omnium cauſſa ; ergo Deus eſt bonus per eſſentiam ; eſtque totius bonitatis cauſſa & origo. Nam ſoli Deo ſumma bonitas per eſſentiam convenit, ut modo demonſtratum eſt ; ergo ipſe ſolus cuiuſvis*

boni-

Google

ctus omnes ſolus poterit perfecte ſatiare: Hinc nihil imperfectum poteſt profecto efficere, nihil ſuae Bonitati, Maieſtati, & Eſſentiae contrarium; unde non poterit eſſe cauſſa, & origo peccati. Hoc autem loci obſervandum eſt, quod etiamſi ignorantia, dolores, error, mors, atque ingens illa, ut ait Horatius (1) *febrium cohors*, quae humano generi incumbit; ſicuti quoque complura animalia veneno, aculeis, feritate homi-

---

bonitatis principium eſſe poteſt. Et quidem ſi ſoli Deo ſumma bonitas per eſſentiam convenit, ceterorum entium bonitas derivata tantum erit, adeoque ab aliquo ipſam participent opus eſt; ergo ne proceſſum in infinitum admittamus, dicendum erit, Deum eſſe cauſſam atque principium bonitatis, quae in ceteris entibus adinvenitur. Nullum igitur eſſet bonum, [*ut inquit D. Auguſtinus ſerm. 29. de 1. verſu Pſal.* 117. *num.* 1.] niſi factum eſſet a bono. Et a quali bono? Quod nullus fecit. Nullum ergo bonum eſſet, niſi a bono factum eſſet, quod factum non eſt. Bonum caelum, ſed factum bonum: boni Angeli, ſed facti boni: bona ſidera, Sol, & Luna, alternatio noctis & diei, temporum vices, volumina ſaeculorum, curſus annorum, germina herbarum, & arborum, naturae animalium, & inter haec omnia creatura laudatrix homo; omnia bona, ſed facta bona; & a Deo bona, non a ſe. Qui fecit haec, ſuper omnia bonus eſt, quia nullus eum fecit bonum, ſed a ſeipſo bonus eſt. Nec tamen ſibi ſoli, ſed & nobis bonus eſt. *Concludendum itaque ex huc uſque demonſtratis, Deum eſſe ſummum bonum; ſummam ipſi bonitatem per eſſentiam tantum convenire; eamque eſſe totius bonitatis cauſſam, & originem.*

(1) *Lib.* 1. *Od.* 3. *v.* 30.

Digitized by Google

hominibus noxia; moleſta, & mortifera; etiamſi, inquam, cuncta haec, aliaque id genus *mala phyſica* cenſeri, & vocari ſoleant, quia certae perſonae doloris, aut damni afferunt aliquid; intrinſece tamen, ac poſitive bona putari debent, cum ſemper aliquam bonitatem coniunctam habeant: exinde enim rerum varietas, Univerſi pulchritudo, & plurima bonorum genera oriuntur; quemadmodum ex hominum imbecillitate, morbis, & mortis formidine ipſorum cupiditas, audacia, & feritas, quae nullis ferme finibus circumſcripta eſſet, lenitur, ac temperatur, ut ex hoc naſcatur inter homines tranquilla ſocietas.

Haec autem a Deo proficiſci, puta ad emendationem hominis, aut etiam in poenam delicto reſpondentem, nihil vetat; cum in hoc nihil ſit, quod bonitati repugnet, immo divinae ſaepe ſint beneficentiae argumentum, & ab ipſa proficiſcantur; ſicuti a bono medico ingratum ſapori pharmacum.

Verum quod ad *malum morale*, ſeu peccatum attinet, huius generis mali Deum adſcribere auctorem, nefas eſt; cum peccatum ipſum non *ens*, ſed ſola privatio entis, ideſt ordinis, & perfectionis ſit. Huc egregie collineat, quod ſcripſit Auguſtinus [1]: *Quaeſivi, quid eſſet iniquitas, & non inveni ſubſtantiam, ſed a ſumma Subſtantia Te Deo detortae in infima voluntatis perverſitatem proiicientis intima ſua, & tumeſcentis foras.* Et alio in loco [2]: *Ma-*

(1) *Lib. 7. Confeſſ. c. 16.*
(2) *Lib. 12. de Civ. Dei cap. 6. & 7.*

Mala voluntas efficiens eſt operis mali ; malae autem voluntatis efficiens eſt nihil ...... Nemo ergo quaerat efficientem cauſſam malae voluntatis. Non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio: deficere namque ab eo, quod ſumme eſt, ad id, quod minus eſt, hoc eſt incipere habere malam voluntatem. Peccatum igitur non a potentia quadam, ſed ab impotentia oritur, ab illis nempe cauſſis, quae a fine ſibi propoſito deficere, & aberrare poſſunt, ut ſunt creaturae rationales natura ſua liberae, quarum ſane agendi libertas vitioſa non eſt, ſed poteſt ſua vi aliquid vitioſum producere. Et quamvis peccatum Deus permittat, id tamen ipſius Bonitati non repugnat, quod ex malis ipſis occulta quadam, & admirabili ratione impenſius aliquando bonum ipſe deducat, ut facile poſſet compluribus exemplis comprobari: *Deus cum ſumme Bonus ſit*, inquit Auguſtinus, *nullo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, ut benefaceret & de malo*.

Quod autem in Deo ſit infinita prorſus Aequitas, & Iuſtitia, ex eo conſtat, quod ſi fortaſſe Deus iniquos praemiis, vel iuſtos poenis afficeret, odio, livori, aliiſque aegritudinibus eſſet obnoxius; quod a perfectiſſimae Naturae idea penitus abhorret.

Quoniam ens infinite perfectum nonniſi bonum praecipere, conſulere, probare poteſt; malum vero prohibere, averſari, & odiſſe debet; ritus omnes, legeſque ab ipſo propoſitae, ac conſtitutae honeſtati, decori,

ratio-

rationi, & ſanctitati repugnare nequeunt; adeoque in Deo ſumma, & infinita Sanctitas eſt admittenda.

Ceteris attributis divini adiungis etiam debet Veracitas, qua Deus aliquid revelando fallere, vel aliquid promittendo deeſſe non poteſt. Fallere enim, ac promiſſis deeſſe ſi in hominibus turpe eſt, finitiſque ipſorum perfectionibus, ſanctitati nempe, iuſtitiae, ac beneficentiae adverſatur; quanto magis id infinitis iſtis Dei attributis repugnabit? Quapropter cum nulla in eo imperfectio, immo vero ſumma perfectio reperiatur, perfectiones omnes eiuſmodi vitiis oppoſitas infinita ratione Deus complectetur, proindeque infinite verax erit.

Demonſtranda demum ſupereſt Dei Providentia, cuius nomine intelligitur ratio illa, cura, & conſilium, quo ad certum finem aliquem ſingula conſtantiſſime diriguntur, ut nihil temere, ſed cuncta rite, & conſulto fiant, infinita nempe ſapientia, atque prudentia.

Et re quidem vera extremae prorſus dementiae, & impietatis eſſet negare, Deum univerſi huius, omniumque in eo contingentium providentiam, atque curam habere. In hanc ſummam dementiam, & impietatem devenere olim duo illa Philoſophiae, ut ita dicam, opprobria, Democritus, & Epicurus, & nunc temporis ii, qui Deiſtae ideo appellantur, quod Deum admittere non detrectantes ſtultiſſime negant, a Deo curari, & adminiſtrari univerſum; quos omnes ſequenti refellere contendam demonſtratione. Stultiſſimum, atque im-

impiiſſimum eſt propugnare; vel Deum mundi huius auctorem non eſſe, vel illi ſapientiam, prudentiamque ſubtrahere : atqui in alterutrum huiuſmodi errorem prolabatur oportet, quicumque Deo adimit univerſi huius curam, ac providentiam; ergo ſtultiſſimum, atque impiiſſimum eſt negare Deo providentiam, curamque univerſi. Cum Deus ſapientiſſimus ſit, & huiuſce univerſi auctor, ob finem aliquem illud condiderit neceſſe eſt. Etenim ſine aliquo fine operari, inſipientis eſt: Si mundum produxit ob aliquem finem, & ſi prudentem ſimul eſſe admittatur; neceſſario admitti etiam debet, ita eum a Deo ordinari, ut exigit finis a ſe praeſtitutus: at id nihil aliud profecto eſt, quam mundi providentiam habere ex definitione ſuperius allata; ergo ſi mundum Deus produxit, & ſapiens, atque prudens eſſe debet, illius curam, ac providentiam habebit; unde qui Deo abnegat providentiam, alterutrum neget neceſſe eſt, vel Deum condidiſſe mundum, vel eſſe ſapientem, ac prudentem : atqui utrumque negare, ſummae eſt dementiae, ac impietatis; ergo ſtultiſſimum, impiiſſimumque eſt, negare Deo providentiam, curamque univerſi. Exinde autem colligitur, non modo totum hoc univerſum contra Democritum, & Epicurum, ſed ſingulas etiam eius partes adverſus quoſdam veteres Philoſophos divinae ſubiici providentiae. Deus omnium omnino, quae ſunt, auctor eſt, & quidem ſapientiſſimus : ergo omnia debet ordinare, ac promovere ad debitum finem, adeoque providentiſſimus eſt. Robur am-

amplius accedit eiuſmodi argumentationi, ſi quis perpendat, nedum hoc univerſum a Deo fuiſſe ab initio productum, ſed perpetuo etiam ipſius conſervari virtute; alioqui turbaretur exquiſitiſſimus univerſi ordo, & in nihilum prorſus abiret. Actio autem Dei conſervatrix eadem omnino eſt, atque illa, quae produxit iuxta vulgatum axioma: *Conſervatio eſt continuata productio* (1). Itaque Deus etiam nunc operatur in hunc mundum, eumque quodammodo continenter producit: at id non ſine aliquo fine, cum ſit ille ſapientiſſimus; ergo nunc quoque Deus procurat, regitque mundum, & ſingulas eius partes in proprios dirigit fines, ipſoſque fines omnes particulares in ultimum quemdam finem, qui alius eſſe nequit, quam ipſemet Deus, quatenus ſeſe quodammodo in creaturas effundit, iiſque communicat.

At vero quo clarius emicat divina in omnibus providentia, eo audacius, fidentiuſque in eam inſurgunt ipſius olores; quodque magis eſt, dementem, impiamque

(1) *Quum conſervatio dicitur* continuata productio, *ſenſus non eſt, res ideo conſervari, quia perpetuo, ac quolibet temporis momento reipſa producantur; iterato enim creari nequit, quod iam exiſtit, niſi prius in nihilum redactum fuerit. Senſus igitur eſt, conſervationem creationi aequivalere, quatenus conſervatio efficit, ne res creata redeat in nihilum, a quo per creationem educta fuerat. Itaque Deus generali, perennique actione ſua conſervat tum rerum omnium entitates, tum ipſarum activitates; & quidem tales, quales ſunt, & eſſe exigunt: neque enim actionis conſervatricis eſt, rerum naturas evertere, ſed continere, ne diffluant, vel deſtruantur.*

Digitized by Google

que temeritatem ſuam pietatis etiam fuco delinire ſatagunt.

I. Aiunt enim, 1. melius Dei honori eſſe conſultum, ſi ipſi omnis adimatur huiuſce mundi procuratio, quam ſi tribuatur; quia, inquiunt, huiuſmodi procuratio Dei Naturae nequaquam congruit, cum alienum ab illa ſit, utpote aeterna, ac beata, alienis implicari negotiis; ipſam enim quiete perfectiſſima, ſummaque tranquillitate decet gaudere.

2. Nullum deinde ex hac procuratione poteſt Deus fructum percipere, quoniam eius Natura nullius rei eſt indiga, ſed ſibi plene ſufficit. Nemo autem prudens fruſtra operatur quidquam.

3. Deus eiuſdem procurationis finem nullum praeſtituere ſibi poteſt, nimirum non ſe ſe, cum nihil ſibi poſſit acquirere, quod antea non haberet: non alia quaecumque; quia indignum eſt Dei perfectione, tendere in finem extra ſe conſtitutum.

4 Peritiſſimi artifices multoties opera negligunt ſua, abiiciuntque; cur non ita ſeſe poteſt gerere Deus? Si poteſt cunctorum, quae fecit, curam omnem abiicere; quid demum obſtat, ne dicamus, reipſa abieciſſe?

Nullius plane momenti ſunt haec, & vix reſponſione digna, primumque praeſertim argumentum, quod unicum tamen Epicuri fundamentum erat.

1. Etenim ſi Deus aut perturbari negotiis, aut curis defatigari, aut laxari operibus poſſet, non eſſet omnipotens, perfectiſſimus, ſapientiſſimus; quo nihil abſur-

abſurdius, vel dementius poteſt unquam cogitari.

2. Ad ſecundum reſpondeo, beneficentiſſimae Naturae ſatis eſſe, aliis benefacere; neque illum fruſtra operari, qui alios iuvat; nam operari ſine ullius commodi ſpe, perfectionis eſt; ſine ullo fine operari, dementiae.

3. Ad tertium dicendum, procurationem proxime quidem tendere in creaturae bonum, ultimo autem in Deum ipſum, eiuſque gloriam, quae ex huius univerſi ordine exquiſitiſſimo reſultat; quorum utrumque ſummopere divinae convenit bonitati.

4. Quarto tandem loco adſtruendum, artificem nullum, ſi ſapiat, opus aliquod eximium plane abiicere; eo minus Deum, qui neque poſſet omnem Univerſi curam dimittere, quia illud in nihilum abiret.

Haec itaque ſunt, quae inſtituti noſtri ratio poſtulare videbatur, ut nempe de Deo Optimo Maximo, eiuſque attributis, quantum naturalis ratio patiebatur, diſſereremus. Theologorum eſt, divinae Revelationis, atque Traditionis praeſidio, Eccleſiae auctoritate, & indefectibili veritate de Deo Uno, & Trino, deque ſacroſanctis Catholicae Religionis Myſteriis pertractare. Id unum poſtremo tandem loco ſubiiciendum duxi, lectiſſimi Iuvenes, ut omni cura, animique attentione caveatis a legendis, penſitandiſque cum veterum, tum recentiorum quorumdam Metaphyſicorum tranſalpinis libris, qui phantaſiae ferventioris impetu, non gravis iudicii regula ducti purum Metaphyſices aurum adulterinis

rinis incruſtarunt coloribus, optima quaeque deteriora fecere, ac mirifice diſtorſerunt; uno verbo ſomniis, ne dicam deliriis, pulcherrimam Metaphyſicae faciem foediſſime deturparunt. Sunt enim hac tempeſtate, qui Clitomachi, Carneadiſque cineres excitant, ac nihil a ſe veri comprehendi poſſe defendunt. Sunt qui clanculum, perque ſecretos cuniculos quaſi tentabundi nequaquam arcem veritatis invadere videntur. Eo tamen ab ipſis paullatim deveniet pervagata haec, & nullis conſcripta limitibus novandi libido, ut Pyrrhonea illa ſcepſis, atque epoche, [ſic enim dicitur circa omnes veritates imprudens quaedam aſſenſionis retentio] quae dudum inter rudera antiquatae philoſophiae iacuerat, iam extollere caput incipiat, ſenſimque in altum ſeſe erigere videatur. Propterea valde metuendum, ne occultae quaedam Novatorum coitiones, quorum nonnulli Scepticorum, Academicorumque opinioſiſſimis erroribus videntur addicti, collatis inter ſe ſignis, aperto denique marte totam funditus peſſundare Philoſophiam iam iam adoriantur, niſi mature inſana huiuſmodi ingeniorum licentia, quaſi extra ripas diffluens, intra cancellos fineſque ſuos contineatur. Alii quoque noſtri aevi Scriptores, ut inanem aucupentur rumorem, & umbras falſae gloriae conſectentur, quae Epicuri ſunt, obtegunt, ſeque de Deo recte ſentire ſimulant, quo facilius ſuae doctrinae venenum ceteris poſſint propinare (1). Nam Dei exi-

(1) *Hac arte etiam Spinoſa uſus eſt; licet enim in iſtius ſyſte-*

exiſtentiam inanibus, involutiſque rationibus dubiam ſaltem reddere conantur [1]; eoque etiam temeritatis, & impudentiae devenerunt, ut Religionem ab ignorantia, metu, ac praeiudicatis opinionibus derivaſſe effutiant [2]; eamque uti rem triſtem, ac formidoloſam traducant [3]. Quam impia vero, & quam abſurda ſunt, quae de Divina Natura confixerunt, & quidem eo audacius, atque ſecurius, quo geometrica methodo, quae nullam in ſuarum propoſitionum demonſtratione pati poſſe videtur exceptionem, ſua commenta propo-

ſyſtemate quaecumque Divinitas de mundo tollatur; impius tamen homo de Deo uti ſupremo quodam principio fraudulenter diſputat. Hobbeſius pariter eamdem adhibet fraudem, quam deinde alii quoque increduli *ſequuti ſunt. Nam* Philoſophicas, Iudaicas, Peruvianas, Cabaliſticas, *atque* Perſicas Epiſtolas, *aliaque huius generis execranda opuſcula ſi quiſpiam legerit, quamvis multa, atque omnia ferme Religioni contraria in iiſdem deprehenſurus ſit, nonnulla tamen ſibi etiam occurrent, quae Deo non indigna ſunt.*

(1) Cogitationum Philoſophicarum *Auctoris audacia huc uſque pervenit: hunc confutavit ſaepe laudatus P. Cerboni Dominicani Ordinis Alumnus T. 1. pag. 91., & 97. Operis a ſe inſcripti* Theologia Naturalis.

(2) *Id affirmare una cum Hobbeſio alii nonnulli improbi homines, inter quos Tolandus in ſuo* Adeiſidaemone *§. 6. accenſendus, quos omnes refellit inſignis idem Auctor* Theol. Natur. *Tom. 1. pag. 57., & ſeqq.*

(3) *Ita deliravit Auctor* Cogitat. Philoſophic., *eumque egregie ſuo more confutat ipſe P. Cerboni eiuſdem Operis Tom. 1. pag. 22., & ſeqq.*

nere aggreſſi fuerint, ut imperiti nonnulli ſyſtematis ſaltem ſpecie caperentur (1). Neque hic tantum pravi, atque perverſi illorum conatus conſiſtunt. Supremo omnium Domino, qui totius eſt bonitatis fons & origo, alterum ei ex adverſo in malignitate aequalem conſtituunt (2); Dei ſcientiam coarctant, atque reſtringunt (3); libertatemque eius audacter negant (4); materiam increatam ponunt, quo ſemel admiſſo, ſyſtema omnium ſimpliciſſimum ſupponi, temere obtrudunt (5), licet nihil magis repugnans excogitari, & eſſe poſſit; providentiam non ſecus ac vetuſtiores athei Deo adimunt (6); eiuſque dominium, quod in omnia prorſus abſo-

(1) *Id profecto, ut neminem latet, impius Spinoſa auſus eſt.*

(2) *Hanc Manichaeorum haereſim nuperrime excitavit etiam Baelius, cuius veſtigia hac quoque in re, ſicuti in aliis ſane multis, preſſit Voltaereus in ſuo opuſculo inſcripto,* Poeme ſur le diſaſtre de Lisbonne, ou Examen de cet Axiome : Tout eſt Bien, *Tom. 6. oper. pag.* 335. *edit. Pariſ.* 1757. *Conſulatur hac de re idem opus* Theol. Natur. *inſcriptum Tom.* 1. *pag.* 140.

(3) *Ita ſentit Auctor* Epiſt. Perſic., *vulgo M. de Monteſquieu epiſt.* 69. *refutatus ab eodem Cerbonio Tom.* 1. *pag.* 189.

(4) *Id Spinoſa una cum aliis falſo putat, quos refellit idem Auctor Tom.* 1. *pag.* 265., *& ſeq.*

(5) *Veſanam hanc opinionem propugnavit Auctor Philoſophiae* du Bon ſens, *vulgo M. d' Argens, cuius deliria confutantur ab ipſo Cerbonio Tom.* 2. *pag.* 9., *& ſeqq.*

(6) *Auctor* Epiſt. Philoſophic. *ſcilicet Voltaereus nuperis temporibus ſumma cum procacitate id facere non dubitavit* pecu-

abſolutum habet, circumſcribunt [1]; cultuſque exterioris a nobis erga ipſum iure meritoque impendendi neceſſitatem impugnant [2]; & Stratonis Lampſaceni Peripatetici ſententiam ab oblivione vindicantes animum humanum ſpiritalem eſſe negant [3]; eiuſque tollunt libertatem [4]. Inde autem eſt, ut in compluribus noſtri

peculiari quodam opuſculo inſcripto, le Romande l' Hermite *Tom. 8. pag. 259. edit. Pariſ. an. 1757. Vid. eumdem Cerbon. Tom. 2. pag. 11., & ſeqq. in Opere ipſo pluries celebrato.*

(1) *Vide, quae ex Auctoribus* Epiſt. Philoſoph., & Perſic. *adnotavit Tom. 2. pag. 58. ipſe Cerbonius.*

(2) *Externi cultus inutilitatem propugnant Voltaereus* Poeme de la Relig. Naturelle, *Auctor* Epiſt. Perſic. *ep. 4. 46.: item* Epiſt. Turcic. *eodem ferme modo delirat pag. 51., &* Judaic. *quoque* Epiſt. *Auctor M. d'Argens ep. 5. & 124. Idem pariter defenditur in* Sinenſibus, Cabaliſticis, ac Peruvianis Epiſtolis. *Libellus itidem conſcriptus*, la Religion. Eſſentielle, *totus in eo eſt, ut omnem cultum tollat. Quae omnia confutantur ab ipſo celeberrimo Auctore P. Cerbonio Tom. 2. pag. 41. eiuſdem Operis.*

(3) *Praeter Hobbeſium, Spinoſam, & Guilelmum Cowardum Medicum Londinenſem, qui animi ſpiritualitatem impugnarunt, ut ſuis locis adnotavimus, fuit etiam hoc ſaeculo Hocbeiſenius, qui eumdem errorem propugnare conatus eſt, quemque egregie refutavit Bucherus.*

(4) *Hobbeſius fatalem quamdam neceſſitatem inducere, & libertatem ab homine omnino tollere contendit. Quod ille efficere praeſertim adortus eſt quodam libello, quem adverſus Joannem Bramballum Epiſcopum Derienſem edidit. Maiorem adhuc & acuminis, & ſophiſmatum copiam ad eum.*

Digitized by Google

ſtri temporis *Incredulorum* libellis, Celſi, Juliani, omniumque Ethnicorum, qui Chriſtianam Religionem oppugnare, atque evertere quamqui maxime, ſed fruſtra tamen conati ſunt, dicacitas, audacia, impietas compilatae, atque contractae eſſe videantur. Cavete igitur, decet iterum monere vos, ſtudioſiſſimi Adoleſcentes, ne falſis illorum doctrinis circumveniamini; nec minori etiam cura, ac diligentia abſtineatis oportet ab aliorum quorumdam Tranſalpinorum lectione, qui praeſtantiſſimam Metaphyſices facultatem nova, clariorique profecto methodo pertractarunt, & ſingulas, aut nobiliores certe illius partes incredibili ſubtilitate, ingenii acumine, elegantia, perſpicuitate uberrime illuſtrarunt; inter quos accenſendi Carteſius, Lockius, Malebranchius, Bufonius, Grotius, Pufendorfius, Heineccius, Barbeyracus, Fleiſcherus, Schmauſius, Wagnerus, Saldenus, aliique: quemadmodum plurima huius ſcientiae capita Leibnitius, ac Wolfius [1] explicarunt; ſed ingenue fate-

eumdem errorem propugnandum conſarcinavit Anglus alter Collinſius libro ita inſcripto, Recherches Philoſoph. ſur la liberté de l'Homme; *quem luculentiſſime confutavit Clarckius* Remarq. ſur un livr. intitol. Recherches &c., *& doctiſſimus P. Moniglia* Differt. contro i Fataliſti *Par.* 1. *ſect.* 4.

(1) *Duos iſtos, ceteroſque paullo antea memoratos Philoſophos abunde non minus, quam doctiſſime refellit in nonnullis illorum propoſitionibus Religioni, ac veritati infeſtis Joann. Franciſcus Finetti in ſuo pereximio. Opere ab omnibus lectitando* de Principiis Iuris Naturae, & Gentium *Tom.* 1., *&* 2.

fateri iuverit, quod in viris iſtis cetteroquin doctiſſimis, & acutiſſimis aliqua ſubinde occurrunt, quae licet ſubtiliter inventa, eleganter expoſita, magnificeque a Scriptoribus aliis commendata fuerint; perſpicue tamen & a puriori, ſinceroque rationis lumine, & ab ipſis etiam Divinae Fidei, atque Catholicae Religionis legibus abhorrent ob acriorem illam ſubtilitatem, vehementem, impudentemque novitatis ardorem, maximamque cogitandi, ſcribendique licentiam; quae quidem omnia illos liberioris ingenii viros in errores, atque impietatem abripuit. O utinam ager iſte Metaphyſices ab huiuſmodi prurientibus ingeniis potius iacuiſſet incultus, quam propter redundantiam novorum dogmatum vaſtus, ac deſertus eo magis eſſet, quo uberiorem fructum, lectioremque ſegetem promittere videbatur. Nova pravarum opinionum ſemina non tam altas egiſſent radices, neque in dies novorum errorum ſurculi ſuperbiores ſuccreſcerent. Abſtinete igitur, iuvat rurſus hortari vos, Adoleſcentes optimi, ab huiuſmodi aeruſcatorum hominum, *quorum ſermo ut cancer ſerpit*, libellis lectitandis. *Videte*, inquam cum Apoſtolo, *ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum* (1). *Nolite abduci doctrinis variis, & peregrinis* (2). *Depoſitum cuſtodite devitantes profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiae, quam quidam promittentes*

(1) *Ad Coloſſenſ. cap. 2. v. 8.*
(2) *Idem Apoſtol. cap. 13. v. 9.*

tes circa Fidem exciderunt (1). Nocturna verſate manu, verſate diurna (ut complurium praecellentia Opera praeteream vel doctiſſimorum Virorum in rebus metaphyſicis verſatiſſimorum, Moniglia ſcilicet, Corſini, Marin, Jacquier, Finetti, Cerboni, Valſechi, Roberti, Niccolai, aliorumque) D. Thomae tum ſacra in Theologia, tum in Metaphyſica facile Principis praeſtantiſſimum illud ex tot eius Codicibus volumen, quod *Summae contra Gentiles* titulum praeferens tribus prioribus libris omnem naturalem Religionem purioris Metaphyſicae ope in tuto collocat. Hic velut in ſolium ſuae maieſtatis Deus reſtitutus cernitur ab errorum iniuriis, quae vel olim ei fuerunt illatae, vel hac tempeſtate inferuntur, vindicatus; omniumque impietatum, ac ſuperſtitionum monſtra praefocata iucundum oppido piis, doctiſque ſpectaculum exhibent. Primum etiam mali Principium a fatuitate Manetis inductum, & a praefidente Baylaeo, Zoroaſtris nomine, fulfultum, videbitis ibi protritum; Stoicorum fatum eluſum; liberumque hominum arbitrium aſſertum; & ne ſingula recenſeam, impiorum omnium recentium Achillem, Spinoſam nempe confoſſum, iugulumque petitum. Quibus rite ſervatis, extirpanda illa radicitus novandarum opinionum libido ſine rectae rationis, probatae experientiae, veraeque Religionis lumine coeca, procax, effroenis; quam unam veluti radicem omnium erro-

(1) *Ad Timoth. cap. 6. v. 10.*

errorum ubi ſtirpitus extraxerimus, reliquas male philoſophandi propagines, ramoſque omnes acciſos corruere ſtatim videbimus. Huius pravae libidinis ſedem occupet, perpetuoque teneat incorruptus Religionis, ac ſincerus ille veritatis amor, a quo, tanquam a quodam ſancto, auguſtoque fonte, cum noſtra omnis dimanat recta cognitio, tum illa quoque profluit aequa, moderata, & rationis obſtricta cancellis, ſummeque neceſſaria philoſophandi libertas; quam tantum abeſt, ut nullo pacto diminutam velimus, ut ſartam tectam in Philoſophiae ſtudiis omnino retinendam praedicemus. Reliquum itaque eſt, ut Deum enixe precemur Optimum Maximum ſtatorem, vindicemque libertatis, ut ipſe utpote luminum Pater, omniſque origo veritatis ſuos erga nos convertat oculos benignitate pleniſſimos, atque ita mentes animoſque omnium noſtrûm illuſtret, inflammetque ad clarius videndam, amandamque ferventius veritatem, ut in huius umbra vitae (quod erat magni Aurelii Auguſtini deſiderium) fugatis cupiditatum fumoſarum tenebris, id nobis appareat, quod latebat; id vero nos delectet, quod non delectabat, donec ſummi Veri cognitionem nitidiſſimam, ac perfectiſſimam Filiorum Dei libertatem in aeterna illa Beatorum ſtatione tandem aliquando fuerimus conſequuti.

F I N I S.

105652858

Digitized by Google

Digitized by Google